Manus Oratoria

Sive

Artis Rhetoricæ Libri Quinque

Scripti à me Camillo Ottelio

In Seminario Patriarchali Divi

Cypriani

Auctore Post P. Marinum De Gra:

tiÿs C. R. S.

P. Ioanne Bapta Averoldo C.R.S.

Anno Domini

MCDLXXIII.

Rhetoricę Facultatis

~ Proemium ~

Rhetoricam, Auditores, aggredior, in ipsoq. uos limine sisto, ut paulatim me duce, tantę Reginę penetralia attingentes, meliora, quę intus latent oculis, sed melius mente possitis percurrere. Fateor me difficilioribus studijs defatigatum, atq. serijs implicitum negotijs uix posse faciliora hęc negotia subire. Ad meas has curas alienum exposcit Imperium, et militia iam emeritum iterum uocat ad castra. Laborem non respuit animus, & Auditorum diligentia fretus quam maximam sibi pollicetur, tantam subire Prouinciam non renuit. Vos uires addite, et promptiori uestro cursu retro cedentem impellite. Antesignanus precibo faciliorem uiam demonstraturus; At nunquam difficilis erit semita illa, quę undiq. floribus est aspersa. Pungit mentem huiusce facultatis desiderium! En pręforiq. adest, postes reserat, penetralia concedit, & humaniss.mo uultu uos ad se uenientes amplectitur. Agite igitur. Totis incumbite uiribus, ut optatam possitis metam pertingere, et, ut in uotis est, Rhetores tandem euadatis. Hoc tamen uestris inhereat mentibus, firmumq. sit satis non esse Oratoricę Facultatis pręcepta conscripta apud se retinere, sed & memorię fideliter esse demandanda, et illis continua exercitatione animum adijciendum. Procul sed hinc inutilia uerba, ad rem ipsam descendamus

Apparatus
in Vniuersam Rhetoricam, seu
De
Ipsius Natura

Non pigeat in ipso limine paulatim figere gressus ante quam ad inferiorem Reginę Eloquentię penetralia procedamus, ut in ipso aditu quidquid ad tantę Reginę ornatum est necessarium cognoscamus. Videbimus igitur in hoc primo ingressu quid sit Rhetorica, quam tractamus, unde hoc nomen habuerit, et quotuplex illud sit; deinde de eius origine, dignitate, & antiquitate. Vno uerbo breuiter quę spectant ad eius naturam inuestigabimus.

Caput Primum

Quid sit Rhetorica

A nominis ethymologia incipiendum, ut nomen sciamus illius Facultatis, quam habemus pre manibus, ne nomen ignorantes inutili ipsam exquiramus labore.

Vt igitur nominis cognitio uos non lateat scitote Rhetoricam sic dictam à uerbo Greco Rheo, quod idem significat, ac fluo; Oratorius enim sermo fluminis in morem Auditorum animos debet percurrere.

Diuersa ipsi nomina à Rhetorib. imposita fuere iuxta uarias eiusdem diuisiones. Triplex enim esse dicitur. Vna preceptis tantum continetur, quę ad opus Oratorium referuntur, et hac qui pollent proprie Rhetores dicuntur. Altera est, quę non in preceptis tantum, sed etiam in mente Oratoris latet, et à priori illa ortum ducit; In hac qui excellunt proprie Eloquentes dicuntur. nihil enim aliud est, quam uis, & Facultas dicendi. Tertia est ipsum opus Oratoris; Hanc, qui habent proprie Oratores dicuntur.

Discrimen ergo est inter hęc Nomina Rhetor, Eloquens, et Orator, si stricto modo sumantur, ut patet ex dictis, et facilius V.V. explicabo

Caput Secundum

De Rhetoricę definitione

Ex nominis ethymologia ad Rhetoricę Definitionem inuestigandam gradus

gradus est faciendus, cum ipsa rei definitę essentiam explicet. Multi multas afferunt definitiones. Prima definitio est Aristotelis definientis Rhetoricam Facultatem uidendi in unaquaq; re quid idoneum sit ad persuadendum. Hanc definitionem etiam si non omnino improbandam putem, tamen non ut germanam amplectendam censeo.

Secunda definitio traditur à Cicerone, qui aserit Rhetoricam esse rationem benedicendi, cui definitioni proximè accedit ea, quę traditur à Quintiliano affirmanti esse artem benedicendi. Hę definitiones non arrident, quia Rhetorica non solum docet benedicere, nec pro fine suo ultimo habet traddere rationem, qua posit quis prudenter, et ornatè dicere, sed persuadere: quare benadictio potius est uia, et medium ad finem, quem illa ultimò spectat, qui est persuadere, ut apertius infra constabit.

Definitur autem Rhetorica Ars persuadendi dictione, quam definitionem ut melius intelligatis

Sciendum est secundo perfectam quamlibet definitionem traddi per genus, et differentiam. Quod uerò talis sit nostrę Rhetoricę definitio consideranti patebit: ars enim habet locum generis, conuenit enim hoc nomen pluribus; differentia est persuadendi dictione; Per hoc enim distinguitur ars nostra ab omnibus alijs artibus.

Cap: Tertium

De dignitate Rhetoricę Facultatis

Paucis nos expedio. Dignitas Rhetoricę Facultatis desumitur à fine, ab operatione, & ab effectu. A Fine: nam maxima dignitas est reddere sibi attentos animos Auditorum, et pro suo arbitrio uel ad Misericordiam, uel ad Odium, uel ad alias animi Passiones hominum pectora trahere. Ab Operatione: hęc etenim argumentorum uis iniquas opiniones refellit: et Orator si in ea Ciuitate dicat, in qua interdum Eloquentia floruit maximam cum laudem, tum premium consequetur. Ab Effectu: efficit enim illa, ut inter nos animi nostri sensus, et occulta mentis cogitata clarè, et sine ulla difficultate intel-

intelligant Auditores. A loco etiam desumitur illius dignitas; Versatur enim Orator ijs in Locis, qui à Proceribus, nobilioribusque frequentantur vel in Foro, ubi religio Iudicum refulget, in Senatu, ubi Patrum gravitas emicat, in Concione, aut Circa, ubi Populi tumultus sedantur. In ijs autem Locis bene versari magnæ tum laudis, tum dignitatis est.

Quam sit utilis hæc nostra facultas claris.^{mè} patet: ab ista enim commoda Regibus, Populisque omnibus deriuant. Quod si attentè considerabitis, procul dubio affirmabitis nullam aliam facultatem tantam utilitatem, et commodum mortalibus afferre, nec ex Historiarum monumentis exempla haurire nunc tempus est.

Caput Quartum

De fine Rhetoricæ Facultatis

In varias Auctores abiere sententias in assignando Rhetoris fine: Nos cum Aristotele primo Rhetoricorum, Cicerone in Partitionibus Orationis finem Rhetoris statuimus esse persuadere dictione, illius verò officium esse tantum benedicere: ex quibus colligitur finem Rhetoricæ esse instituere futurum Oratorem ad hoc ut possit dictione persuadere. Pro cuius rei intelligentia

Aduertite magnum intercedere discrimen inter finem, & officium, seu munus alicuius artis: Munus, et officium est id, quo ars tanquam fine medio utitur ad finem obtinendum, et quo habito non dum conquiescit: Finis verò est, cuius gratia omnia fiunt, ad quem cuncta diriguntur, quo spectant omnia, quæ tractantur in illa arte, et quo obtento non ulterius procedit Artifex.

Aduertite etiam duplicis generis artes, et scientias inueniri: Non nullæ dicuntur necessariæ, & infallibiles, quod semper adhibitis medijs artis suum finem assequantur, ut Ars ædificatoria v.g. quæ dummodò habeant cæmenta, lateres, ligna, et alia huiusmodi absque dubio Domum eriget, et hoc fit quia suarum operationum certam, atque præfinitam habent

habent methodum quæ peritos Artifices nunquam fallit. Aliæ dicuntur Coniecturales, quod earum in potestate, et manu non sit finis, nam uersantur circa res, quæ aut Fortunæ temeritati, aut aliorum inuariabili inconstantiæ, aut hominum iudicio non diutius in eadem remansuro subijciuntur. Huiusmodi sunt Artes medendi, nauigandi, &c. Nam Gallenus, & Hippocrates sæpe morbo laborantibus ægre adhibent medicamenta, quæ tamen à grauitate ægritudini uincuntur; Et simili modo non rarò peritissimi Nauium Magistri, et Moderatores propria arte decepti, uel in ipso naufragio periere, uel undis quiescentibus extincti fuere. Ad hoc incertarum genus artium eloquentia reuocatur: siquidem ei propositum est uires omnes Orationis intendere ad Auditorum Animos permouendos, qui sæpe tum mentis mobilitate tum perfractæ uoluntatis obstinatione optimi cuiusque Oratoris facundiam, et artem deludunt.

Ex dictis facilè colligi potest uerò uerius esse finem Oratoris esse persuadere primo quia ille est finis, ad quem alia diriguntur, et quo obtento quiescimus: Sed in sola persuasione obtenta quiescit Orator, & ad illam reducit quid quid dicit; ergo persuasio est finis.

Et sanè benedicere, quem Cicero, et Quintilianus faciunt finem Rhetoris rationem finis habere non potest. Ratio clariss.^ma^, ac euidentiss.^ma^ est: Ad illam bonam dictionem non dirigit Orator omnia, quæ tractat, nec in illa quiescit. Nullus enim adeo expers ingenij est, ut cum orat tantum spectet delectare uerbis, et hoc uno contentus sit: sed potius intendit Auditores in suam trahere sententiam, & ad hunc finem ordinat, quæ dicit.

Dicunt non nulli uerè distingui officium à fine Rhetoris, sed distingui à fine extrinseco non intrinseco: uolunt autem finem intrinsecum esse benedicere, et extrinsecum persuadere. Sed contra quia inde sequeretur quod quis haberet finem, et non haberet uel haberet, ante quam haberet. Sequella prima probatur, quia etiam

per ad-

per adversarios bene dicere est officium Rhetoris, ergo iam bene dicens Orator suum finem non haberet suum finem non haberet; haberet autem, quia etiam per ipsos benedicere est finis. Secunda sequella probatur, quia benedicendo iam haberet finem Rhetor, ut ipsi volunt, et illum quidem haberet, antequam finem assequeretur, quia utique ad aliquem finem benedicit; cum medium semper tendat ad finis acquisitionem. Deinde haec distinctio ex se fictitia est, quia nunquam mihi inuenias ullam artem, quae habeat idem pro fine, et medio.

Caput Quintum

De Materia Rhetoricae Facultatis

Nullis definitam terminis materiam nostrae Facultatis signamus, sed per omnia volumus indiscriminatim vagantem.

Multiplex materiae genus apud Philosophos inuenitur, quod hic tradimus, ut clarius innotescat de quanam Materia sermo sit in presenti. Alia ergo dicitur In qua, alia Ex qua, alia Circa quam. Materia In qua est illa, cui aliquid inhaeret v.g. Paries, cui albedo, et colores inhaerent. Materia ex qua illa est, ex qua aliquod opus conflatur. Illa vero dicitur Circa quam, quod ad eam perficiendam, et ornandam uires suas Operarius intendat, ut v.g. Lignum est Materia Circa quam Sculptoris industria se exercet.

Diuiditur etiam Materia in Proximam, et Remotam. Remota est illa, circa quam Artifex non inmediate versatur, huiusmodi erit Lignum sic Sylua respectu Fabri Lignarij, quod prius sciendum est mox in Vrbem inuehendam, antequam ex illo conficiatur opus. Proxima est illa circa quam inmediate Artificis opera versatur, ut Lignum iam in Officina promptum, et paratum, et alia quae ad manus habens, nec longius peti debent.

Vt igitur ad rem nostram reuertamus: quando queritur quaenam sit

Materia

Materia Rhetoricę Facultatis, sermo est de Materia circa quam proxima, et adęquata totali in quo sensu cum communiori Rhetor: opinione statuimus Materiam Rhetoricę esse quidquid potest persuaderi, et cadere in quęstionem; Cum omnia possint cadere in quęstione, omnia respicit Rhetorica pro sua Materia. Fateor tamen Rhetoricam respicere pro Materia non nullas alias res, particularius huiusmodi sunt quęstiones Civiles Forenses, quas Cicero videtur pro istius subiecto statuere.

Hinc aduertat quicunq. Oratoris palmam affectat nullius rei cognitionem se latere debere; Immo opus esse, ut in illo disciplinę omnes quodam veluti fędere inter se colligatę conueniant, et Scientiar: omnium Encyclopędiam habeant; Quamobrem diu, noctuq. ipsi versandi erunt Poetę, cognoscendę historię, leges prędiscendę, Antiquitas attingenda, & ex omni litterar: genere libandi Flores, quibus destinguatur, et respergatur Oratio. Quin etiam in acutas, et subtiles Philosophor: et Theologor: disputationes se debet inserere, ut eas, cum se occasio obtulerit habeat ad manus

Caput Sextum

Quid sit Quęstio

Diximus superius Oratorem agere de omnibus rebus prout cadere possunt in Quęstionem: Videndum igit: in presenti quid sit Quęstio.

Quęstio sic dicta à Quęrendo; Quęrimus enim utrum tale sit necne? id de quo nobis est sermo. Dicitur ab alijs Propositio, seu Argumentum. Quęstio est illa in qua aliquid examinandum proponitur. Illa autem duplex est, altera infinita, quę à Gręcis dicitur Tesis; Finita altera, quę ab ijsdem dicitur Hippotesis. Prioris exemplum sit: An danda sit opera Studijs. Posterioris: An studijs incumbendum sit pavi tempore.

Sed ut facilius et intelligatis aduertendum est illam appellari Infinitam quę nullis limitatur circumstantijs temporis, Loci, Personę, &c.

Finitam

Finitam uero illas esse, quę talib. circumstantijs circumscribitur,
Omnes autem circumstantię celebri illo carmine continentur

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Aduertite secundo Quęstiones Infinitam addita circumstantia fieri Finitam, & è contra Finitas circumstantia ablata fieri Infinitam u.g. hęc Quęstio est Infinita. An danda sit opera Studijs, addite circumstantias u.g. hyemali tempore, erit finita: & è contra.

Potest etiam quęstio distribui in quęstionem An sit, Quid sit, & Qualis sit; Quęstio An sit est illa, in qua quęritur Utrum existat, fuerit, uel futura sit, ut an Phenix reperiatur, Antichristus futurus sit. Quid sit est illa, in qua quęritur rei natura, & esentia u.g. An Calliditas sit uirtus. Qualis sit est illa, in qua inuestigatur utrum res sit bona, uel mala, iusta, uel iniusta, utilis, seu inutilis, quę res conditiones à nobis dicuntur, & à Philosophis qualitates, ut an Rhetorica sit utilis

Ex tribus istis quęstionibus enascuntur illi tres status Coniecturalis, Definitiuus, & Qualitatis

Quęstio item diuiditur in illa tria causarum genera Demonstratiuum uidelicet, Deliberatiuum, & Iudiciale, ad quę omnes quęstionem tractandam, ut species ad genus reuocandam putant omnes. quod quidem, ut clarius intelligatis sit

Caput Septimum
De Tribus Causarum Generibus.

Tria esse Causarum genera statutum est apud Rhetores, quorum unum siquis optimè intelligat Orator iure merito est appellandus.

Hęc autem tria genera Causarum ab Auctoribus non sine controuersia tria enumerantur. neque defuerunt, qui dicendi genera binario numero contineri putarunt; Deliberatiuum, & Iudiciale tantum Rhetoricę partus aserentes, & Demonstratiuum prorsus reicientes. Hoc fortè

adducti

adducti argum.to quod Oratoris finis sit persuadere, qui autem in Demonstrativo versans non persuadet quia vel culpat, vel laudat. Sed isti omnes allucinans: quid enim aliud est quemquam laudibus extollere, vel vituperationibus deprimere, quam persuadere, ut talis habeat culpatus, vel laudatus à nobis qualem haberi ab omnibus cupimus.

Non nulli inumera esse genera dicendi existimarunt, nos autem Aristotelem secuti cum Cicerone, & Quintiliano tria tantum esse affirmamus, quod autem verum sit has possumus afferre rationes.

Prima ratio: Orator aut delectat, et hoc facit in genere Demonstrativo, aut consilium accipit, et hoc prestat Deliberativum: aut iudicat, & hoc Iudiciale genus.

Secunda ratio: Ea quę ad Oratorem spectant aut in Iudicijs sunt, aut extra Iudicia, quę in Iudicijs sunt manifestum est ad Iudiciale genus pertinere: quę verò non veniunt in Iudicium aut preteritum, aut futurum tempus respiciunt. Quę preteritum ab Oratore vel laudari, vel vituperari debent, et hoc est Demonstrativum genus. Quę futurum deliberans, et inde insurgit Deliberativum Genus.

Tertia ratio: omnia, quę tractat Orator, vel certa sunt, vel dubia certa suo proprio arbitrio quisq. laudat, vel vituperat, quod constituit genus Demonstrativum: in dubijs autem quidnam à nobis sit eligendum inquirimus, ex quo nascit: Deliberativum: aut illa sunt aliorum sententiæ commissa, et ex ipsis ortum habet Iudiciale.

Ex quib: rationib: certis.um est tria esse genera Causar. Scire verò debetis Demonstrativi generis finem esse Laudationem, vel Vituperationem: Deliberativi Suasionem, vel Dissuasionem: Iudicialis autem Accusationem, vel Defensionem: et hi fines peculiares sunt Orationum, non Oratoris; Istius enim finis est, ut vidistis persuasio.

Caput Octavum

Caput Octavum
De Rhetoricę Partibus

Quinque communiter assignantur Rhetoricę partes Inuentio, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Pronuntiatio, nam istis partibus omnes persuadendi rationes consequimur, quod etiam asserit Quintilianus initio Lib. XII. Institutionum Oratoriarum, et Cicero probat primo de Orat. qui sic ait Omnis Orationis uis, et facultas in quinq. partes est distributa, ut debeat primum reperire quid dicat inuenta non solum ordine, sed etiam Ornamento, et iudicio quodam disponat, atque dispenset; Tum etiam ea uestiat, atq. ornet Oratione, postea memoria sepiat: ad extremum cum dignitate agat & uenustate.

Sunt autem aliqui, qui harum partium numerum conturbant: alij enim duas partes demunt, et tres tantum constituunt, nempè Inuentionem, Elocutionem, & Dispositionem: Memoriam, et Pronuntiationem rejiciunt, quia inquiunt, Illę sunt partes artis, quę attinguntur ab Arte, sed hę postremę duo non attinguntur ab Arte, ergo non sunt partes Artis. Has Quintilianus Grauissimus Auctor non esse audiendos inquit, ut uiua uoce

Non nulli Sextam addunt Partem Judicium nempè: nos cum Quintiliano, Cicerone, Aristotele, et alijs uerius dicimus unicuiq. illarum quinque partium admixtum esse Judicium; Neq. aut inueniri, aut disponi, aut sermone explicari, uel memoria teneri, aut pronuntiari sine Judicio posse. Itaq. Judicium non esse tanquam sextam partem ab illis quinq. distinctam, numerandum. Harum autem quinq. partium sufficientiam sic colligit Quintilianus: Omnis sermo, quo mentis nostrę cogitata explicamus, res habet, et uerba: res inuentionis sunt, et uerba Eloquutionis. Et ita duę partes constituuntur Inuentio, & Elocutio. Cęterum si sermo longior sit futurus, non potest duabus istis partibus complecti, sed prter illas requiritur Dispositio, nam non solum perpenditur quid, et quom-

et quomodo dicas, sed etiam quo ordine disponamus. Verum suo queq. loco disponi non poterunt, nisi dicenti Memoria presto fuerit: Demum illa quatuor nullius erunt ponderis nec suum effectum consequentur, nisi uocis, & gestus non indecora Pronuntiatio illis accedat. Ubi hec quinq. absoluerimus, Oratoris munus omni ex parte perfectum erit. Constat igit. quinq. tantum esse partes huius artis, nec plures, nec pauciores: Harum definitiones nunc debemus afferre.

Inuentio est argumentorum excogitatio, que questionem probabilem reddant.

Dispositio est rerum inuentarum in ordinem distributio.

Elocutio est Verborum, ac Sententiarum iuxta rerum dignitatem accommodatio.

Memoria est firma Orationis Perceptio, seu est firma rerum inuentarum, dispositarum, ac uerbis Ornatarum Perceptio.

Pronuntiatio tandem est gestus, ac uocis pro rerum ac uerborum dignitate accomodatio.

Caput Ultimum

De Rhetorice Instrumentis

Certissimum est apud omnes unicuiq. Arti propria tribui instrumenta, Auxilia seu Presidia ad illam acquirendam, cum igit. nullo discrepante uere, et in rigore Rhetorica sit Ars, ijs carere non debet.

Quatuor igit. potissimum instrumenta illius iuuant assecutionem, ingenium scilicet, siue Natura, Ars, Exercitatio, et Imitatio.

Nomine Nature intelligimus propensionem, & habitudinem alicuius ad aliquid efficiendum. Ars est que suis preceptionibus Nature uitia corrigit. Exercitatio est preceptorum usus, et in ijs assequendis continuata praxis. Imitatio est studium, quod adhibemus in sequendis uestigijs alterius, qui in ea arte, quam sequimur excelluerit.

Natura quidem in Scientiarum cognitione comparanda maximi facienda est, quinimo nullus uia repertus, qui Nature auxilio destitutus egregium aliquid molitus sit in artibus assequendis.

Nature munera dupliciter spectantur. Primo ex parte ingenij, et sunt ce-

leves

Seres motus ad inueniendum, et memoriæ mandandum, et alia, quæ ab ingenio proueniunt. Ea enim omnia, quæ in alijs diuisa reperire sat est, in Oratore uniuersa conuenire debent. Alia deniq. Naturæ munera ex parte corporis, scilicet firmitas laterum, canora uox, soluta lingua, et cæterorum membrorum apta, et solers dispositio, ita ut oculi omnes animi sensus, & motus depingant; Vox se erigere, flectere, deprimere, et ueluti ad numerum prosilire possit; Manus sit erudita, et penè uocalis; Corporis deniq. totius habitus elegans, et grauis, & magnæ mentis simulacrum.

Nec parum in arte momentum positum est ad eloquentiam obtinendam, nam uirtus ingenij non destituta artis auxilio ad quæuis studia comparanda par esse poterit, nec enim ingenium satis erit, si ars desiderabitur. quamobrem non immerito à Cicerone ars dicitur Naturam perficere, et comparatur agrorum culturæ.

Nemo adeo ferus, qui non mitescere posit

Si modo culturæ patientem accommodet usum.

Et sanè qua ratione fieri poterit, ut quis non ignoret quid in unaquaque re uitandum sit, uel sequendum quid laudabile, uel uitiosum, nisi admoneatur ab Arte?

Artis indiuidua comes exercitatio est, nullus enim, ut ait Cic., aut Imperator, aut Orator, quamuis artis præcepta calleat, quidquam laude dignum sine exercitatione, et usu assequetur; unde bene Ouid.

Artifices unus, qui facit usus erit.

Hæc autem exercitatio pluribus modis fieri potest audiendo scilicet, legendo, meditando, et scribendo.

Imitatio etiam multipliciter fieri potest, possumus enim alios imitari uel retinendo uerba, et mutando sensus, uel retinendo sensus, & mutando uerba: uel aliqua uerba, et aliquos sensus simul retinendo: et hæc satis sint de Apparatu in uniuersam Rhetoricam.

Finis Apparatus.

Manus Oratoria, siue Rhetorica manuducens

Introductio

Placet Rhetoricam manum explicare, et quam Zeno dilatatè comparauit, auarè non restringere in pugnum. Sic enim fiet, ut speciem aliquam uenustatis Rhetorica nostra præseferat, et uos facilius Indice demonstrante Oratoriam Metam asequamini, et ad manus eam Artem habeatis, quas diù exoptastis. Et sanè non inutili comparatione Manui placet Rhetoricam assimilare; Hæc etenim ui sua Auditorum animos ad manus trahit cum ipsorum affectus in quamcunque partem adducit, et pro arbitrio suo moderatur. Hanc igitur manum uobis, Auditores exhibeo, uos eidem manum porrigite, quod perpetuæ fidei pignus erit. In suas partes diuisa erit Rhetorica hæc Manus; Totum uidelicet Rhetoricum hoc opus iuxta eiusdem diuisionem in quinque Digitos, uidelicet quinque Libros breuiter diuidemus: Singuli Libri suos continebunt articulos, nempè capita. Ut igitur communem uiam Rhetorum et nos sequamur tractabimus in primo de Inuentione, secundus explicabit Dispositionem. Elocutio uerò tertij Libri continebit præcepta: reliqui duo, et si breuissimi non nullas de Memoria, Pronuntiatione obseruationes præscribent.

Digitus Primus

Siue Rhetoricæ Artis

Liber Primus

De Inuentione

Cum Inuentio ex iam dictis sit excogitatio argumentorum, quæ quæstionem probabilem reddant, eidemque fidem faciant, primò loco de argumentatione est dicendum, quare sit

Articulus Primus

De Argumentatione

Suppono primò discrimen esse inter argumentum et argumentationem, Argumentum enim est ratio excogitata ad aliquid affirmandum, seu negandum

gandum; Argumentatio verò est modus, quo talis ratio excogitata exprimitur.

Suppono secundò quamlibet argumentationem constare ex suis propositionibus; Propositio verò ex suis partibus, seù terminis; Terminus verò ex nominis ethimologia significat finem alicuius rei, et quia res solent esse finitæ ex duplici latere, ideo extrema ex utroq. latere alicuius rei dicuntur termini, sic duo ultima puncta sunt termini lineæ.

Hinc optimè definitur terminus ab Aristotele primo Priorum cap. 1 Extremum in quod resolvitur propositio, ut in subiectum, et Prædicatum, cum enim in unaquaq. propositione tria reperiantur subiectum, prædicatum, et copula, subiectum est id, de quo aliquid affirmatur, seu negatur, prædicatum id, quod de alio affirmatur, seu negatur, et Copula verbum substantivum sum, es, est, quod simul coniungit extrema, ut in hac propositione Petrus est homo. Petrus est subiectum, homo prædicatum, Copula est dicitur. Aristoteles eos dicit terminos esse, in quos resolvitur propositio, seu qui remanent ablata copula, nam quælibet res resolvitur in illas partes, quæ remanent ablato nexu, per quem ante iungebantur. Cum autem solum Subiectum, & Prædicatum remaneant, ablata Copula, sequitur solum Prædicatum, et Subiectum esse terminos.

Quare verbum est non est terminus; Cum quia non est pars propositionis, sed unio partium, cum in illas non resolvatur propositio: tum quia unio est extremorum coniunctio, extrema verò sunt termini rei, tum demum quia est medium, quo uniuntur extrema, unde non est extremum, aut terminus, sed ut hæc clarius percipiantur.

Sciendum est primò non esse necesse, quod terminus propositionis explicitè proferatur; sed sufficit si contineatur æquivalenter in alio vocabulo, quod suppleat usum duplicis vocis: v.g. dico Petrus est, particula est correspondet duplici vocabulo, et idem significat ac est existens, ac proinde quatenus correspondet voci, Existens habet rationem termini

Sciendum secundò Prędicatum plerumq. non esse simplex sed compositum, cum quo nimirum sit coniunctus casus obliquus, aduerbium, aut aliquid aliud u. g. si dicas Petrus est Pater Francisci. Petrus accedit ad me festinanter: In isto casu aduerbia casus obliqui, et alia Huiusmodi sunt additamenta termini positi in casu recto, unde non sunt termini ab eo distincti.

Colligite hinc non nisi casum rectum esse posse terminum propositionis. Ratio ulterius est, quia solus casus Rectus perse aliquid significat et potest prędicari: At uerò casus obliqui aduerbia, et alia Huiusmodi non significant per se ipsa.

Multę alię difficultates insurgere potunt de ipsis terminis, quas omnes Logicis relinquimus; Ipsi enim longiori tractatione de istis habent disputationes.

At uerò quia ut diximus ex terminis consurgit propositio, ideo non nulla dicemus de nomine, uerbo, et Oratione, quę in propositione locum habent.

Definitur nomen ab Aristotele primo Periermenias cap. 2: Vox significatiua ex instituto sine tempore, cuius nulla pars significat separata. Dicitur uox, quod est genus, in quo conuenit cum omnibus alijs sonis editis ab ore animalis. Significatiua ut distinguatur à quibusdam uocibus Belluarum, & Hominum, quę nihil significant. Ex Instituto, quia nullum nomen ex natura sua significat (quidquid dicant aliqui Logici) sed ex hominum placito, et conuentione, et per hoc distinguitur à suspirijs, et gemitibus, quę sunt uoces naturaliter significatiuę. Sine tempore, quia nomen per hoc distinguitur à uerbo, ut mox dicemus. Demum dicitur, cuius nulla pars significat separata, idest seorsum sumpta, non habet eam significationem, quam habet cum nomine u. g. Respublica si sumas pro unico nomine, non significat idem ac res

publica

publica pronunciando duas uoces distinctas
Verbũ definit ab Aristotele Vox significatiua cum tempore, cuius nulla pars separata significat, et semper eorũ, quę de alio prędicant, est nota. Duę huius definitionis particulę explicationẽ requirunt nempe Ly cũ tempore, et eorũ quę de alio prędicantur est nota
Sciendũ est igit. aliud esse significare tempus, aliud connotare tempus, aliud significare cũ tempore. Illud significat tempus quod impositum ad aliquod determinatum tempus significandũ, ut dies, & hora; Illud connotat tempus, quod significat actionẽ aliquam, quę certo, & determinato tempore fieri solet, ut Cęna, Prandiũ; Illud deniq. significat cum tempore, quod significat actionem aliquam prout fit, uel exercet. in tempore. Verbum hoc tertio modo significat, ut prandeo, cęno
Dicitur preterea uerbum Quę de alio prędicat. est nota, quia cũ uerbum ęquiualeat copulę, ut supra, significat rẽ inesse, uel non inesse, et efficit Orationẽ uerã, uel falsam. Per has particulas excludunt. à ratione uerbi participia; Si enim dicas Paulus dormiens nihil ueri, aut falsi dicitur, nec significat. aliquid inesse, aut non inesse
Denique Oratio definitur ab Aristotele Vox significatiua, cuius partium aliqua separata significat: Constat enim ex pluribus nominibus, quę habent in se perfectã significationem, in quo differt à nomine, et uerbo.
Diuidit. Oratio in perfectã, et imperfectam: illa integrũ sensum continet, ut homo currit: hęc non item, sed suspensã relinquit mentem, ut si Deus uellet. Oratio Perfecta diuidit. in Enuntiatiuam, et non Enunciatiuam: Illa uerum, uel falsum continet: In hac nulla ueritas, aut falsitas reperitur, ut sunt omnes Orationes deprecatiuę, et Optatiuę; Quamuis ueritas, et falsitas saltem implicitè in his etiã continent., sicuti implicitè reperitur affirmatio, uel negatio, nã cum dico: Vtinã haberẽ hunc librũ, implicitè affirmo, me desiderare hunc librũ.
Propositio, quę est Enuntiatio, est Oratio perfecta, quę uerũ, uel fal-
sum

sum significat: uel melius est alicuius de aliquo affirmatiua, uel negatiua Oratio. Nam per propositionem affirmamus, uel negamus Prædicatum de subiecto

Diuiditur primò in simplicem, seu categoricam, et compositam, simplex est, quæ continet unum tantum uerbum, ut Petrus currit. Composita est quæ continet duo uerba: hoc autem dupliciter contingere potest, uel si propositio habeat plura uerba, sed cum coniunctione, ut Petrus currit, & Paulus currit, uel continet duo uerba, sed absolutè alterum conditionatè, ut si Sol est dies, est et hæc propositio hypotetica, seu conditionalis appellatur.

Diuiditur secundò propositio in absolutam, & disiunctiuam, prima est per quam aliquid absolutè asserimus, ut Petrus studet, secunda est quando non affirmamus determinatè aliquid, sed sub disiunctione, ut Petrus uel dormit, uel uigilat

Diuiditur tertiò propositio in Modalem, & in non Modalem, Modalis est in qua non solum affirmatur aliquid coniunctum cum alio, sed etiam exprimitur quomodo sunt coniuncta, ut si dicas: homo necessariò est rationalis. Non modalis simpliciter enunciat prædicatum inesse subiecto, ut homo est Animal


Explicauimus hucusque definitionem, diuisionem & essentiam propositionum, nunc ad earum propositiones accedimus. Prima est Oppositio quæ definitur duarum propositionum habentium idem prædicatum, & subiectum secundum qualitatem, uel quantitatem, uel secundum utramque repugnantia. Hinc quatuor oriuntur propositionum oppositiones. Duæ sunt propriæ, quando scilicet propositiones sunt contrariæ, uel contradictoriæ: Duæ impropriæ quando sunt subcontrariæ, uel subalternæ.

Prima igitur oppositio sit contradictoria, quæ tunc est quando una propositio alteri opponitur secundum qualitatem, & quantitatem quando scilicet una est uniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua, aut è contra, ut omnis

omnis homo est Animal, aliquis homo non est Animal: hę propositiones nunquam possunt esse simul verę, neq. simul falsę, sed necessario una debet esse vera, altera falsa. Oppositio contraria tunc est quando una propositio opponitur alteri secundum qualitatem, sed convenit in quantitate, ut omnis homo currit: nullus homo currit: huiusmodi propositiones nunquam possunt esse simul verę, possunt tamen esse simul falsę. Si enim aliquis homo currat falsę erunt ambę.

Propositio subcontraria est quando una propositio convenit cum alia in quantitate particulari et opponitur secundum qualitatem, ut aliquis homo currit: Aliquis homo non currit: Hę possunt esse simul verę, sed non simul falsę. Unde non proprie opponuntur, nam veritas non opponitur veritati.

Verum oppositio subalterna est repugnantia duarum propositionum secundum quantitatem tantum, ita ut una sit universalis, ali particularis v.g. Omnis homo currit, aliquis homo currit. Istę propositiones possunt esse simul verę, & simul falsę, sed non potest esse vera universalis, & falsa particularis, quia particularis continetur in universali. Hę propositiones clarius ponuntur ob oculos per presentem figuram



Diximus propositionem opponi, uel secundum quantitatem, uel secundu qualitatem, uel secundum utramq., uidendum nunc est quid sit quantitas, & qualitas in propositione

Quantitas propositionis est coarctatio, uel extensio subiecti, uel est quod propositio sit vel universalis, uel particularis. Hinc alia propositio est singularis determinata, ut Petrus currit: alia singularis indeterminata ut aliquis homo currit: Alia universalis, ut omnis homo est animal. Alia indefinita, cuius subiectum est terminus communis sine adictione alicuius terminis syncathegorematicis, ut auis uolet. Hic enim non dico quod omnis Auis, aut aliqua Auis uolet. Ubi aduertite in materia necessaria terminus indefinitus supponere universaliter, dum enim dico non est Animal, significo omnem hominem esse Animal. At uerò in materia contingenti supponit singulariterè dum enim dico homo currit, sensus est aliquis homo currit.

Beniq. qualitas propositionis est esse ueram, uel falsa affirmatiuam, seù negatiuam propositio uera est, quę enunciat rem, ut est in se: falsa, quę enunciat rem aliter ac est in se.

Propositio affirmatiua est in qua principalis copula affirmat prędicatum de subiecto, ut si dicam homo est Animal, homo, qui non est bonus est malus. Propositio negatiua est in qua negatio uel implicitè, uel explicitè afficit copulam, ut homo non est Angelus.

His suppositis tanquam ueris ad argumentationem quęso accedamus sit ergo

Articulus Secundus

De Argumentationis Definitione, & diuisione

Argumentatio est Oratio, in qua unum ex alio infertur. u. g. dum dico Homo est rationalis, ergo est risibilis: Hęc est argumentatio, quia non solum affirmo rationabilitatem, et risibilitatem de homine, sed affir-

mo

mo risibilitatē propter rationabilitatē, et unā ex alia deduco.

Quinq. species argumentationis assignantur. Exemplum, Inductio, Dilema, Entimema, et Silogismus

Exemplum est ab uno, uel duobus singularibus per quamdā similitudinē progressio u.g. Pulchrum est subire uitę discrimen pro Rege humano ergo multo magis pulchrum erit pro Rege Diuino.

Inductio est argumentatio, in qua ex singularibus sufficienter enumeratis ad uniuersale progredimur. Vt hic ille ceteriq. ignes sunt calidi ergo omnis ignis est calidus.

Dilema est Oratio complectens utramq. partem contradictionis, qua omninò præcludit fuga respondenti inquamcunq. enim partem incidat contra ipsum semper concludit. u.g. uolens Magister redarguere Discipulū nigligentię, sic ait, uel percepisti quod docui, uel non si percepisti quarè memorię non mandasti: si non percepisti quare non interrogasti: Et hoc dicit. argum.^{tus} cornutum

Enthimema est oratio, in qua ex una propositione immediatè infert. aliquid, ut Petrus est homo, ergo est Animal

Syllogismus deniq. definit. ab Aristotele p.° priorū cap. 2.° Oratio in qua quibusdam positis aliud quid ab his, quę posita sunt, necessariò accidit, eo quod hęc sint, seù est argumentatio in qua positis pręmissis seù concessis (nempe maiore, & minore) sequitur conclusio à pręmissis diuersa et necessariò contendenda eo quod hę sint, seù ex ui ipsarū pręcisè

In quo differt Syllogismus ab alijs speciebus argumentationis, quę non sunt in forma perfecta, nā in illis non sequit. consequentia ex his pręcisè, quę posita sunt, sed requirit. aliqua alia propositio tacitè subintellecta, quę nisi essent uera, consequentia ipsa non uerificaret. u.g. exemplum supra positum non concluderet, nisi intelligerent. aliquę alię propositiones. Hinc infer diuersitatem hanc spetierum argum.

gumentationis consistere potius in argumentatione uocali, quam mentali, omnis enim argumentatio mentalis est Syllogismus constans ex tribus propositionibus

Syllogismus verò constat tantum tribus terminis, duobus extremis, & medio. Hinc duo aduertite primum terminum posse esse etiam multiplicem secundum significationem, ut sunt termini æquiuoci, unde fit hic Syllogismus, omnis Gallus habet alas, Ludouicus est Gallus, ergo habet alas. Secundum duos terminos posse aliqdo summi pro unico verbo, seù termino u. g. Petrus et Paulus sunt binarium.

Obseruandum etiam Syllogismum constare tribus propositionib. tantum. Una est conclusio, in qua inferenr duo extrema identificata inter se: Alia est maior, in qua maius extremum nimirum prædicatum conclusionis unitur cum medio. Alia minor in qua minus extremum, nimirum subiectum connectitur cum medio u. g. omnis homo est Animal, Petrus est homo ergo Petrus est Animal. Obseruate quod hæc sunt tres propositiones, et similiter tres termini - Petrus, Homo, Animal.

Ut verò clarius intelligatis quomodo Syllogismus firmetur non pigeat aliqua axiomata ab ipsis Philosophis desumere. Primò quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Idest si duæ res inueniantur esse idem cum alia tertia entitate, erunt etiam idem inter se, u. g., si Petrus, et Homo sunt idem cum Animali, erunt idem etiam inter se u. g. Explicari hoc potest exemplo sensibili quantitatis. si duæ quantitates sint æquales, uni tertiæ, certè erunt æquales inter se. De hoc fusius apud Logicos

Secundò quotiescumque aliqua duo ita se habent, ut unum eorum sit identificatum cum alio tertio aliud vero non illa duo oportet esse distincta u. g. Homo est idem cum sensitiuo, lapis non est idem, ex hoc infertur hominem non esse idem cum lapide

His suppositis: omnis propositio, ut alibi docui constat ex subiecto, et prædicato uel implicite, uel explicite in eo contento. Cum igitur omnis humanus discursus tendat ad uerificandam aliquam propositionem uel affir-

mati-

matiuā, uel negatiuam. Tendit ꝑ consequens ad includendā, uel excludendam conexionem alicuius subiecti cum aliquo prædicato u.g. dum dico Cœlum est incorruptibile, uolo significare conexionem inter Cœlū quod est subiectum, et incorruptibile, quod est prædicatum: si autem dicā Cœlum non est incorruptibile, uolo excludere connexionē inter Cœlū, & non incorruptibile

At enim quomodo probabis ista connexio aut exclusio connexionis inter subiectum & prædicatum! Obseruate hic egregium Syllogismi Artificium: Inueniamus tertiū aliquod, seu aliquem medium terminum extra prædicatū, et subiectum, quorū connexionem uolo probare cum huiusmodi medio termino. statim enim ac utraq fuerint cū tertio euidenter, consequenter eorū connexio inter se ex ui illius principij quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se

Ex aduerso uis probare propositionem negatiuā seu exclusionem connexionis inter prædicatum, & subiectū. Debes inuenire aliquod tertium, et ostendere unum ex illis extremis esse idem cū ipso aliud uero non ex quo concludes unum non esse aliud, nam si duo ita se habent, ut unum sit idem cum aliquo tertio aliud uerò non, ea duo oportet esse distincta. Exemplo res erit clarior. Probare uis hanc propositionem affirmatiuam Homo est corruptibilis, in qua significas hominem esse idem cū corruptibile debes reperire tertiū aliquod cū quo ostendas hominem et corruptibile esse idē, sic enim poteris inferre esse idem inter se. sit hoc tertium u.g. quid constat ex contrarijs. Connecte hoc mediū cū corruptibile, et dic omne, quod constat ex contrarijs est corruptibile mox coniunge illud cum homine hoc pacto: Homo constat ex contrarijs: Hinc statim præcipitē inferes conclusionem homo est corruptibilis

E contra uis probare hanc propositionē negatiuā Deus non potest moueri, in qua excludis prædicatū à subiecto. Inuenias tertium

quid

quid cum quo ostendas Deum esse idem, potens moveri non esse idem, sic concludes; intentus hoc tertium sit quod est ubiq. Exclude potens moveri ex hoc tertio formando propositionem negativam. Quod est ubique non potest moveri. Mox connecte Deum cum eodem tertio, Deus est ubiq; illico inferes, ergo Deus non potest moveri.

Hæc diximus de modo syllogizandi perfecto, et dialectico, nunc verò videndum est quonam pacto argumentetur Orator: Dialectici enim strictiori modo sua proferunt argum.ta, quæ Rhetores ampliori forma repræsentant. Verum quidem est quod omne argumentandi fundamentum ex ijs quæ dicta sunt desumunt Rhetores

Quinque ergo sunt partes argumentandi Oratorio modo explicatis. Prima pars est maior propositio. Secunda ratio illius maioris propositionis. Tertia minor propositio, cui adnectitur quarta, nempe ipsius ratio ex quibus tandem consurgit ultimò conclusio videlicet. Adnotate quod Orator non nudè affert has partes, sed illas ornat Elocutione, amplificat descriptionibus, similitudinibus, alijsq; dicendi Veneribus exornat, quod ut clarius appareat sumite præ manibus Ciceronis Rhetorum Antesignani Orationes, et ex ipsarum enucleatione hoc totum dignoscite. Proponam ego exemplum in Oratione habita pro Milone, ad cuius similitudinem alias suo exemplo desumere poteritis. Intelligit igitur Cicero in hac Oratione probare à Milone iurè interfectum fuisse Clodium quod ut demonstret utitur hoc argum.to. Omnis insidiator, et latro iure interfici potest, et hæc est propositio: dedit enim cuique natura, ut vim omnem quamcumq; quo modo possemus à corpore, à capite, à vita nostra propulsemus, et hæc est ratio propositionis: Sed Clodius est insidiator et latro; et hæc reditio, seu minor propositio. Palam enim excidium in Milonem parabat, servos, Agrestes, et barbaros duxit, et hæc est probatio reditionis. Iurè igitur Clodius est interfectus, et hæc est conclusio

Verum etiam si exemplum hoc simplicibus partibus constet potest tamen pluribus rationibus quelibet pars confirmari nempe à similibus, disimilib, et alijs, ut mox et hęc de argumentatione sint satis

Articulus Tertius de Fontib: Inuentionis

Primus Inuentionis Fons

Eruditio

Multi sunt fontes, ex quibus desumi potest inuentio, ad quos ut et uos accedere possitis ad auriendam inuentionem hęc adnotate.

Eruditionem afferre copiosam inuentionem Oratori certum est. Vt uerò sciatis quonam pacto ab Eruditione desumatur inuentio omnem Eruditionem ad duodecim capita reduco

Primò est animatarum et inanimatarum rerum proprietates, quibus abundat Plinius. Sic ex eo quod Elephas inter omnia animalia eximię magnitudinis linguam habet exiguam ostendas uiros temperare egregios.

Secundò Veterum ritus e. g. ex eo quod Romani tonante Cęlo non constituebant leges, dices tonante bellorum strepitu leges silere.

Tertio Historię, quarum supelectilem in aduersarijs collectam habere debet Orator, et in illis nouas sectari non communes, et uulgares.

Quartò Fabulę u. g. Prometeus igne ex rota Solis surepto hominem animauit. Ex hac fabula poteris explicare quid boni nobis est à Cęlo uenire, quibus accedunt Apologi, qui sunt sermones muti rerum animatarum

Quinto Adagium seu prouerbium u. g. à Fabis abstineto, idest Rempublicam ne capescas.

Sexto Hieroglificum, quod picta rerum uel animalium figura cum Arcani significatione u. g. Oculus apud Egyptios sceptro impositus, quo Regum uigilantiam possumus explicare

Septimò Ingressio nimirum rei imago depictę sed intellectui facilior Hieroglificum u. g. Romanorum Aquilę, Atheniensium Noctua, Venetorum Leo.

Octauò

Octavo testimonia Veterum quæ valent, quando vi res agis: Sed in Demostrativo genere partius adhibens.

Nono Sententiæ magnum orationis ornamentum, hæ sunt propositiones quædam generales sensum aliquem grauem continentes, ut tollunt, ut lapsu grauiore ruant

Decimò Apofigtemata illustrium nempè Virorum ducta, aut facta, ut Diogenes interrogatus cur aurum pelleret, respondit quia multos habet insidiatores

Vndecimo Artes, & Disciplinæ, ut si ex eo quod docet Geometra perfectum Sfericum non tangere planum nisi in puncto, explicem fortunæ inconstantiam

Vltimò sacra Scriptura fons verè omnium uberrimus ex quo exempla sententiæ & alia multa possunt auriri, et hæc de Eruditione, cuius ditissimam copiam ex continua librorum lectione collectam habere debetis, ut quando sese occasio obtulerit, possit esse uobis ad manus

Secundus Inventionis Fons
Loci Communes

Loci communes sunt Sedes argumentorum, seu capita, ex quibus desumuntur argumenta ad quæstionem confirmandam. Dicuntur communes ex eo quod omnibus causis inseruiant, et alio uocabulo loci Topici nuncupantur. Diuiduntur in intrinsecos, et extrinsecos. In intrinsecis latent argumenta, quæ ab ipsa re desumuntur: In extrinsecis remota argumenta habemus: loci Intrinseci sunt quatuordecim Definitio, partium Enumeratio, Notatio Nominis, Coniungata, Genus, Species seu forma, Similitudo, Diferentia, Contraria, Repugnantia, Adiuncta, Causæ, Effectus, Comparatio Maiorum Minorum, et Parium

Definitio est Oratio, quæ explicat rem definitam, seu ut alias dixi est Oratio,

tio, quę explicat essentiã, et naturã rei. Hęc uerò duplex est, altera quę traditur per genus, et differentiam, ut homo est Animal rationale. Altera imperfecta, quę potiùs describit rem, et dicitur circumscriptio, seù circumlocutio. Hęc secunda propria est Rhetoris, prima uerò Dialectici, sic Cic. Oratorio modo Optimates definit, cũ ait Optimates omnes sunt, qui neque nocentes, neq; morib improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti

Sic argumentatã à definitione Ius Ciuile est equitas constituta his, qui eiusdem sunt Ciuitatis ad res suas obtinendas; Ciuibus autem Equitatis utilis est cognitio ergo utilis est Iuris Ciuilis cognitio

Multoties enim Oratores et Poetę definitionẽ afferunt per translationẽ uerbi ex aliqua similitudine cum quadã suauitate, quos quidem imitari debemus, ut si adolescentiam ętatis florẽ, senectutẽ, Occasum uitę uelis definire

Partium enumeratio, tunc fit cum alicuius totius partes recensentur. Vidistis exemplum nuperrimè in Cicerone pro Mil. P. Clodij mortem ęquo animo nemo ferre potest. Luget Senatus, męret Equester ordo, tota Ciuitas confecta senio est, squalent municipia afflictant. Colonię, Agri deniq; ipsi tam beneficũ, tam salutarem, tam mansuetũ Ciuem desiderant, et hic quidem modus mirè inseruit ad amplificationẽ. Obseruate quod duplex totum aliquod consideratã; aliud enim est totum quantitatis, aliud totum qualitatis. Totũ quantitatis erit id quod partes habet materiales, ut in exemplo allato: totum qualitatis erit u. g. Virtus sub hoc enim nomine uirtutis continent prudentia, Iustitia, Fortitudo, et Temperantia

Notatio nominis, seù Ethimologia nominis originem notat, ut Philosophus latinè amicus sapientię. Ioannes, Gratia, Bapta, Vox Stefanus, Corona. A notatione nominis hoc pacto argumentatur Orator. Si Consul est, qui consulit Patrię, non igit Piso Consul,

qui eã

qui eam. Si Philosophus est amicus Sapientię, ille ergo Philosophus non est, qui verborum ambagibus sapientiā occultat

Coniungata sunt, quę ab uno orta varie commutant. seu coniungata sunt, quę idem habent vocabuli principiū, terminationem vero diversam. Ut à Sapientia Sapiens, sapienter: Sic Cic. cum enim esset omnis mea causa Consularis, et Senatoria, auxilij mihi opus fuerat, et Consulis, et Senatus

Genus est quoddam vocabulum late patens, sub quo species, seu formę collocant., atque ità definit.: genus est id, quod de pluribus differentibus prędicatur v.g. Virtus est genus complectit. enim sub se prudentiam fortitudinem &c. Confert maximè ad amplificationē hic Locus, et eo utimur pręsertim in principijs dicendi, ubi universalis aliqua sententia premit., ex qua postea fit transitus ad particulare

Forma, ut patet ex dictis est id quod continet. sub aliquo genere, sic Iustitia, Prudentia &c. sunt formę. Continent. enim sub genere Virtutis ex ista sic argumentamur. Quod iustitia est, utiq. virtus est.

Similitudo est duarum rerum in aliquo, vel pluribus adiunctorum comparatio e.g. Timor Crystallus est, qui rerum imagines maiores reddit: duplex est perfecta, & imperfecta, perfecta duabus partibus constat, quarum prior dicit. propositio, et notat. illis particulis sicuti, quemadmodum, & similibus; Imperfecta similitudo altera ex dictis partib. caret; Sępius tamen omittit. redditio, pręsertim cum per inductionem plures similitudines conglobant.: Sic Seneca properantem Librorum lectionē condemnans ait, non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur: Nihil ęquè sanitatem impedit, quā remediorum crebra mutatio: Non venit vulnus ad cicatricem, in quo varia medicamenta tentant.: Non coalescit planta, quę sępe transfertur: Vide quanta venustate similitudinibus conglobent., et hic dicendi modus vere ingeniosus maxime Orationem exornat.

Ex dissimilitudine, seu differentia argumenta hoc pacto desumuntur: Si barbarum est in diem uiuere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent; Ex re enim dissimili argumentum, ut patet procedit.

Contraria ea sunt, quę simul esse non possunt, ut dies nox. Omnia uerò subtili contrariorū, et repugnantium consideratione sufficiat Rhetoris scire multum ornamenti ex contrariorū, et repugnantium collatione oriri.

Repugnantia enim neq. certa lege, neq. numero dissident inter se, et ex contrarijs oriunt e. g. Amare, & Odisse contraria sunt: repugnantia uerò amoris erunt ea omnia, quę ab odio proueniunt, et hę contra repugnantia odij, quę ab amore

Adiuncta ea sunt, quę alicui rei adhęrrent, et dicunt. Circumstantię ipsius, hęc uerò adiuncta uel sunt antecedentia, uel concomitantia, uel Consequentia

Causa est, quę sua ui efficit id cuius est causa. Causę quatuor assignant. Materia forma efficiens, et finis ex istis totidem effectus consurgunt Materialis Formalis, Efficiens, & Finalis. Materia est id ex quo aliquid componit. forma est illa per quam aliquid constituit. et ab alijs distinguit, sic anima est hominis forma, per illam enim ab alijs omnibus distinguit hęc forma duplex est alia naturalis alia artificialis, Animus est forma naturalis, talis dispositio huius Cathedrę est forma artificialis, per quam distinguit. ab istis scamnis, sic ergò et à causa, et ab effectu argumentamur. Ex uirtute laus et ex uoluptate nascit. infamia. Igitur sequenda est uirtus, et uoluptas fugienda

Comparatio est oratio qua duę aut plures res inter se comparant., ut appareat quę sit maior quę minor quę par. A comparatione maiorum argumentum sic desumit. à Cicerone. Est ridiculū ad ea, quę habemus nihil dicere quęrere quę habere non possumus et de hominū memoria tacere, litterarū memoriam flagitare

A minoribus ad maiora ducit. argumentū, ut id quod in minori re valet

ualet, ualeat etiã in maiori. Sic Cicero Philippica Secunda Lucius Brutus Regem superbus non tulit, Hic Brutus sceleratum.
A Pari deniq sic argum:um habes; si consilio iuuare, & auxilio equa illa laude ponendum est, pari gloria debent esse Ei, qui consulunt, & hi qui defendunt. Hę sunt, quę de locis intrinsecis ab Auctorib. breuiter potui desumere, ut uerò id clarius appareat exemplum uobis propono ex Causino desumptum, qui sibi proposuit Lilium laudandum per omnes has sedes, & primò sic incipit
Per Definitionem. Quid est enim aliud Lilium, quã Terrę ornam:us, Plantar: gloria oculus Florum, Prator: Gemma, Pulchritudo radijs suauiter emicantib: fulgurans. Hęc est definitio per Synonimiam, qua passim Oratores utunt: presertim in Exornatiuo genere
Per descriptionem uide ut est ex omni parte formosum; Num excelsa facies? Num maiestate cinctum caput, cuius oneri uix collum sufficit! Num argenteor: folior: stricati ordines? Num paulatim in latitudinem ex̂plicantes angustię? Num resupina per ambitũ labella? Num delicatiss:ma quę interius sunt fila? Nũ Folior: stantia crocis aureolis capita? Num odor? Num candor eximius? Satis istud uel me tacente predicant
Per notationem nominis. Nec immeritò profectò Gręci Lelion, Latini Iunonis Rosam, Mauritani Susem ab Vrbe potentiss:ma, nobiliss:maq: appellant; Hęc omnia blandã sapiunt pulchritudinis Maiestatem, sed efficacius Lelion uenustum suauem, amabilem florem significat, cuius nominis tanta est amplitudo, ut flores omnes, qui modò specie, & suauitate sint excellentes, Lelia nominet Apollonius in Argonaut:
Per Partium Enumerationem, quod mihi uidetur etiam spectasse natura, quę Lilia in tot pulchritudinis genera diuisit, ut non unũ dumtaxat florem, sed omnes omniũ eximios colores, et dignitatem uidean:

leans assecuta: Si candida consideres, quid purius aut amabilius? Si persiana quid speciosius? Si rubra quid magis uarium, &c.
Per Coniungata: Nihil mirum igis si quidquid delicato pulchritudinis flore ennitescit, hoc à filio filiatum dicimus: Sic Orationem filiatam dicimus.
Per genus: Omnes quidem flores singulares naturę ridentes clementia ad humani generis oblectationem, uniuersi decus, uariasq utilitates profudit; Quorum usu non modo profana recreans, sed sacra ipsa extollunt.
Per Speciem: Verum peculiari quodam iure Lilium sibi uindicat, quod simul aspexeris, statim tibi prestantissimum omnium flores ueniet in Mentem.
Per Similitudinem: Quid nos magis exhilaret, quam aspectus pulcherrimorum Auleorum, quę natura omnium architecta et parens ubiq tradit in suis latifundijs, ut admiranda forma, & speciosa uarietate colorum, ramorum foliorum, floris, nostros oculos pasceret ac reficeret spectaculo quidem ornatissimo et instructissimo. Quod etiam uel maximè squalidos Rusticos, et incultos homines aliciat, & delectet.
Per differentia: habent quidem manufacta egregiam plerumq uenustatem: Sed tantum à naturali pulchritudine differunt, quantum natura Dei illius prępotentis administra mortalium animos manus uim industriasq superat
Per contraria si igis natura ita instigante flores nigros infaustos, male olentes detestas, qua amoris beneuolentia Lilium amplectemur? Quo nihil ad candorem amęnius, nihil ad prosperitatis significationem candidius, ad odorem etiam, quem suauissimum spirat dulcius quidquam esse potest
Per adiuncta accedit ad ceteras Lilij uirtutes, quod in Francorum sint Insigibus, idq non humano consilio sed Angeli cęlitus deferentis beneficio, quo nihil ad Lilij laudem dici potest illustrius
Per Repugnantia. Hęc minus repugnant Regem uenerari, et calcare Lilia, quam Cęsares adorare, eorumq statuas frangere, deterrere
Laureas

laureas honoris insignia reuelere.

Per Causas. Siue igit. cum esset paruus. et lactens Hercules, Nouercæ Iunonis uberibus suppositus, argenteus mamarum humor cęlestibus Stillis defluens tantum florem produxit, siuè natura plenius suę munificentię uelificata ediderit nihil plantis inuenio diuinius

Per Effectus. Neq. tantum ob spetiosam illam maiestatem dico, qua prędita. sed propter magnas, et uberes, quas in hominum comoditatem deriuat utilitates

Per comparationem. Quid igit. si calthis, & uiolis & huiusmodi floribus tantum tribuimus. Quid lilio deberi existimatis, quod ipsum constat longè omnium prestantiss.$^{\text{m}}$ esse, nisi quis fortè Rosam Anacreontis uersibus decantatam, illi parem esse contendat huic non multò aduersabor: modò Lilium inter flores Regis partes obtinere fateat., Rosam huic veluti Reginam comitem adiungat. Vidistis igit. ex alato exemplo quam bene desumant. argumenta ad Lilij laudes celebrandas; hoc uobis proponite, et ad illius imitationem alia efformate

Tertius Inuentionis Fons
De locis Extrinsecis

Loci Communes extrinseci à Tulio partitione sexta unico testimonis comprehenduntur, quod uocat quid quid ab aliquo extremo sumit. ad fidem faciendam

Dupliciter diuidit. in Diuinum, & Humanum. Prius de Diuino testimo: agemus, posteà de Humano

Diuina apud gentiles oracula auspicia, uaticinationem, responsa Sacerdotum, alijq. sacri ritus, & ceremonię, de quibus omnibus Valerius Maximus Lib. p.o, et Tullius de Diuinatione, quos consulite. Ceterum tres sunt modi quibus

quibus cum homine Deus loquitur
Primò per semetipsum uerba facit, et est Oraculum: Secundo per Aues, aut Cœlum ipsum, et sic est Auspicium: tertio per homines idque triplici ratione: Primò nullo externo signo, sed ui quadam insita, qua futura cognoscunt, et hinc uaticinia, seu prophetiæ. Secundò per homines, qui libros sacros interpretant, et sunt responsa Sacerdotum. Tertio per eos, qui à portentis Animalium Visceribus, et signis quibusdam insolitis futura conijciunt, et sunt Aruspicum responsa uel etiam per alios, qui somnia interpretant, et sunt responsa Coniectorum
Ex qua enumeratione constat Oratori Christiano non adeò sæpè usu uenire, ut tractet hos locos, nam exoleuerunt illa Veterum delitia, & Annales fabulæ in profanis tamen argumentis, in quibus aut animi gratia quasi Oratoris gentili personam gerens Christianus, hæc prægustat aliquando, uel etiam non nunquam adornat aut confirmatione, aut sententia alicuius Oraculi
Verum apud nos Christianos Diuinum testimonium continet ea, quæ sacris codicibus Spiritus Sanctus reliquit, et quæcunque Diuino afflatu instructa militans instituit Ecclesia, in quibus Oracula, Miracula, uariæ Vaticinationes ueræ Somniorum Interpretationes continent. Sic u.g. Probaturus quod Mundus non sit ab æterno adducere possem illud genesis Oraculum: In principio creauit Deus Cœlum, & Terram: Non igitur Mundus est ab æterno. Æternitas enim caret principio. Sed quia oracula profana cum aliqua probabilitate afferri possunt, et sunt Accademicæ Orationis argumenta opere pretium est omnia, quæ ad hæc Oracula spectant tradere scriptis simul cum ratione, qua possunt tractari

De Oraculis

Dicunt Oracula, quod in his insit Deorum ratio. Demosthenes uerò præstigijs conati sunt imitari prophetiam dum responsa petentibus uel ex Antris, Statuis, Arboribus, aut ipse, aut per homines, aut Animalia respondebant

pondebant

Ità Tullius argumentatur ab Oraculo officiorum secundo, in quo Auaritiam detestatur. Itaque quòd Apollo Phytius Oraculo dixit Spartam nulla re alia nisi auaritia esse perituram id uidetur non solùm Lacedemonijs, sed etiam omnibus populis prędixisse.

Utitur Orator oraculis ad fidem faciendam quotiescumque ueritatem illorum demonstrat: Secundò si pęnas demonstrat, quas luerunt illi, qui ea contempserunt; et e contra à rebus prosperis, quas sunt sortiti, qui paruerunt de qua re Valerius Maximus lib: p.o tertio si forte uestigium aliquod probitatis, aut temperantię in his appareat.

De Auspicijs

Vox hęc Auspicium sumitur pro obseruatione non tantùm Auium, ut uox ipsa sonat, sed etiam rerum omnium, ex quibus ad cognitionem futurorum uel occultorum possumus deuenire. Dicitur etiam augurium, quod ex huiusmodi obseruationibus Deorum Consilia colligerent augures

Quinque uerò genera Auspiciorum tradunt. Primò captabant auspicia à Cęlo, cum Augures designata Cęli parte sumebant auspicium, sine quo nefas erat quidquam cum Populo agere. Item hęc Sole mutato ex facibus per aerem uolitantibus, et ardentibus, ceterisque huiusmodi signis, ac portentis è Cęlo desumptis

Secundò ab Auibus, quarum alię prębebant auspicium uel cantu, ut Coruus conis noctua, et alię uolatu futura prędicebant, secunda quę auspicia portendebant dum opportunè uolarent, aut in definito terrę circulo quiescerent.

Tertio ex Tripudijs sumebant hoc pacto. Pulli seruabant à pullarijs in cauea tum primò diluculò cibus Pullis objicebat. si negligerent cibum sinistrum erat Auspicium, si auidè assumerent prosperum.

Quartò desumebat auspicium à Quadrupede ut uidere est apud Auctores.

Quinto ex hominibus, ut si quis pede limen offendisset. Si quid triste uel aures feriret, uel oculis sobijceret. ; si quis manè sternutasset nare pręsentim

sertim sinistra triste erat auspicium, unde nata fuit apud Veteres consuetudo precandi salutem in sternutamentis. Pro his omnibus auspicijs potest quis cognoscere quanti Veteres ea facerent cum præsertim graues statuissent pœnas ijs qui nimis haud acter ea spreuissent, ut Val. Max: lib. p.o Contra Auspicia militat, quod etiam ipsa sint à Dæmone item quod uana, & incerta sint denique, quod Vultores suos sæpe deceperit

De Vaticinatione

Vaticinia sunt prædictiones Vatum, et Poetarum, quos ad futura prædicanda diuinus quidam mentis furor fecit eximios, uel obseruationes ex Astris aut alia quamuis re obiecta. In hoc ab Oraculis differunt, quod in istis per se Deus loquatur uel homines aliqua ui ad eos suscepta; In illis uerò nihil suscipiatur à nobis

Hoc eximio argumentandi loco utitur Orator cum præstantem aliquem Virum à Vaticinatione laudat cum mortem Pompei mirifice exornat Lucanus Lib 8. circa finem, ubi Sibyllæ Vaticinantis meles Romanæ Ægyptum fugæ Ipse Auctor interpretatur de Pompeio.

Sed quam uana hæc sint, quam incerta quam nullius fidei esse debeant uera fides nos docet multorumque imprudentium experientiæ, qui Deos consulentes Delusi fuere. Delusus est Princeps, qui etsi currus omnes sedulò à se amoueri iussisset non tamen satis egit, quippe confossus est Pausaniæ gladio, cuius in Manubio quadriga adornatum fuerat insculpta et sic de reliquis, ut passim Auctores

Responsa Aruspicum
& Coniectorum

In testimonijs diuinis habentur responsa eorum, qui rebus sacris præsunt, aut cum Dijs, quorum uoluntates interpretantur familiarius uersari uidentur quo ut Antiqui homines ita, et recentiores cultu, & honore singulari sunt uenerati Babilonij, Caldei, Persæ, Magi, Græci Philosophi, Æthiopes Gimnosophistas, Romani, Sacrorum Pontifices, et Flamines, à quibus uerò Di-

uinarum

uinarum interpretationes requirebant; est enim hoc Sacerdotum munus, maximeque Pontificum, ut bene admonet Cicero pro Domo sua.

Responsa Aruspicum habebantur ab ijs, qui uel uictimas uel auis in Sacrificijs obseruabant: quod diuersimodè, ut uidere est apud Auctores fiebat.

Coniectores erant, qui ex somnijs futura prędicebant. Dubium autem non est, quod aliquando somnia diuinitus accidant, ac proindè uerum euentum indicent, ut multis constat exemplis in sacris paginis, interdum quoque à Dęmone excitantur tamen ut plurimum merè naturali sunt, siuè postea procedunt ex fortuitu phantasmatum motu, seu ingenij temperamento seu alijs de causis naturalibus

Hinc argues ueterum superstitiones, qui ullo absque discrimine quęcunque mentis somnia obijcerentur obseruabant, ijsque maximè fidem habeant, quę post mediam noctem, seu ante solis ortum contigissent. Cuius rei etiam afferre poterant causam, quod tum decoctis cibis liberior mens, et clarior esset, atque ob id spiritus illa hora dormiens uiuatior: sed etiam quod Solis, Phębique uatis accessu, ut dicebant rerum imagines representarentur: quam autem dubia sit fides eorum ostendit Tullius de Diuinatione

Articulus Quartus

De Testimonio Humano

Tria cum Cicerone statuo testimonij humani genera primum quod pendet ex auctoritate Virorum, aut Eruditione, aut Virtute Illustrium: alterum uero uoluntate Regum, Principum, et rerum publicarum: Tertium ab Oratione tum libera, quam uidelicet homines nulla ui coacti proferunt, ut cum crimen ultrò fatentur admissum uel iurati Testes coram Principe confirmant: cum expressa, ut cum reus in aculeo torquetur, atque ad sceleris confessionem ui tormentorum adijcitur

Ad primum pertinent Historię, Sententię, Prouerbia, Symbola, Emblemata, et alia huiusmodi

Ad secundum Leges, Edicta, Prędiudicia

Ad Ter.

Ad Tertium Testimonium, Iusiurandum, et alia, de quibus aliqua dicemus omissis tamen, quæ forensi potius disciplinæ, quam Oratoriæ facultati magis convenire videntur.

De Atheniensibus ad primum

Testimonij Genus

Satis abunde explicui quæ pertinent ad primam partem humani testimonij solum enigmata, quæ in hoc etiam locum habent explicanda supersunt, de quibus hæc

Enigma vox Græca significat obscurum sermonem. Solebant autem proponi antiquitus hæc enigmata inter pocula, et calices, et ut sub hoc obscurioris sermonis velo loqui liberi occultarentur discursus, quos homines post vinum intemperantius sumptum errumpunt.

Multis potest fieri modis Enigma: Primò cum aliquid novum insinuamus per litteras, quæ quidem litteræ non significant, sed per alias imagines significantur, et si plures sint singillatim exponuntur. Et si dicit aliquis, ac pingit columnam ad exprimendum elementum **I**, falcem **C**, et sic de ceteris: Quale est illud Iunij de Salvatoris nomine Iesus

Dicito quale queas nomen, quod recta columna
Incoat inde tridens fuscina nectit idem.
Flexus utrinque uncus secat, et binij nota claudit
Inde uncus medio, qui stetit ante loco

In columna **I**, in tridente **E**, Uncus utrinque flexus **S** binij nota **V** inde uncus **S**

Accipite aliud enigma alio modo expositum per litteras

En tibi mitto caput Veneris, ventremque Dianæ
Anteriora Lupi, posteriora Ranæ.

Aliud excipite, & quidem præclarum

Dimidium Sferæ, Sferam cum Principe Romæ,
Postulat à nobis divinus Conditor Orbis

secundo

Secundò cum per litteras numerum designamus cum scilicet ipsę litterę à Latinis usurpanę ad inueniendum quo tempore quis supremum diem obijt Magistratum gessit &c. litterę uerò numerales sunt C.ↀ.L.M.X.I.O. aduertite quod ultima multoties potest omitti. Tertio cum per primam nominis litteram personam declaramus; Sic Antiqui Romani ponebant S.P.Q.R. pro Senatus, Populusque Romanus. Quarto in Sillabis enigmata in eodem nomine multa significata, excogitarunt sive illud retrò legimus, sive il Sillabas diuidamus. Lepidum est illud Comici fortunam suam videntis, et se mendicum pronunciantis his uerbis: sum ego una littera plus quam Medicus. Acutum est illud excogitatum à quodam, qui laborantem Amicum hostium uictorem esse cupiebat

Quo tibi uincendum toties mihi scripseris hostes
Unum mitto tibi reseca modò millia mensem

Is autem asserit ad uictoriam se mittere ensem, nam sic ab hac dictione mensem elementum M. quod millesimum numerum significat, detraxeris, ensem habebis.

Copiosus est hic modus, si enigmata queras in litterarum detractione ad Orationem exornandam. Triplex est autem litterarum detractio, In principio ut Iesus, Esus, Magnus, Agnus, Nauis, Auis, Color, Olor, Caper, Aper, Fluctus, Luctus. In medio fit detractio hoc modo Musica, Musca, Solium Solum, Magnus, Magus, Decus, Deus, Auarum, Aurum, Mars, Mas, Vita Via, Viscus, Visus. In fine potest detrahi hoc pacto, Musa, Mus, Rosa, Ros, Ferax, Fera, Mensa, Mens.

Detractionis in principio est illud de fulmine quod litteram C ademit ex nomine Cesar

Detractionis quoque in fine, et in principio fuit illud ridiculum licet contumeliosum in sagam Vetulam

Mensa tibi nulla est sine cauda tu quoque saga
Atque ferax pariter, sed sine fronte manus.

Huc reuocari libet Enigmata, quę sunt in Sillabis qualis est uox ista Dominus, quę diuisa reddit significationes longè diuersam: ego quidem Dominus inquit, auarus, et ideo do minus, et ego, inquit uxor, censeor iter dominus, qui domesticis, et externis do minas.

Postremò Enigmata alia fiunt per meras significationes addita negatione, ut est illud Vir non Vir, uidens, non uidens, Volucres non uolucres, in ligno non ligno, sedentem non sedentem, lapide, non lapide, iaculat, non iaculat. Quando interpretatur Ateneus, et Eunuco Lusco, qui pumice petit Vespertiliones sedentes supra ramus ingeniose fictus

Illud enim de glacie frigidus non est

Qua mater genuit, genuit modò filia Matrem

Hoc etiam adnotate

Natus in igne fui moriturus in igne uicissim,

Siluas absumpsi dignus in igne mori.

Aduertite tamen Enigmata non solum fieri dictione, uel oratione siue soluta, siuè iuncta, sed pictura etiam sic annus enigmaticè, Poeticeque descriptus, qui duodecim mensibus includitur, et quilibet triginta diebus noxte, & luce distinctis

Est unus genitor, cuius sunt pignora bis sex, his quoque triginta natę, sed dispari forma

Aspectu hinc niue nigris, et uulultatibus inde

Sunt imortales omnes moriuntur, et omnes

Hęc, quę uerbis exprimuntur, si Pictor in tabella depinxerit genitorem, quem circumstent duodecim filij certis ornati insignibus, floribus, fructibus pro mensium, tempestatumque ratione coronati, quorum quilibet triginta secum puellas teneant bicolores, enigma expresserit. Reliqua exempla breuitati donamus

Emblema etiam dicitur quod operi cuique adornamentum erat apositum, sicque emblemata erant figurę, uel in gemis, uel in uestibus, uel in alijs omnino

rinò rebus depictis: sed uidem hanc emblematis formam in melius redux it ingenium, cum ab arte transtulit ad sapientiam; Sapientes enim illas imagines ad aliquod significandum assumebant. Inde Noctua fuit Atheniensium, Tebanorum Sphinx, in quibus excogitandis ętatis ingenia mirabiliter se ostenderunt

Potest igitur definiri emblema symbolum ingeniosè excogitatum ad mores pertinentes pictura, et plerumque adiecto lemonate constans arguta aliqua sententia ui depicti symboli indicans.

Indè patet discrimen, quod est inter emblema, ęnigma, et impresiam: etsi enim hęc tria in ratione symboli conueniant, hoc tamen habent diuersum, ut ęnigma sit uerum aliquod celatum, et ambiguum, ut etiam uiros aliquin doctos, et solertes fallat: Impresia sit clarior, quam ęnigma, non enim adeo obscurum sensum habet, cum exprimat per aliquã similitudinem. Emblema denique sit impresia clarius, cum pręter rem depictã habent etiã uerba seu epigramma aliquod, per quod exprimitur similitudo inter rem depictã, et significatã

Locum habet emblema in genere Demonstratiuo, ubi iucunditas, & delectatio quęritur; quippe quod suauissima uoluptate auditorem afficiat, et ad orationem illuminandam, si modò benè accommodes, multum habet elegantię & uenustatis

Articulus Quintus

De Attinentibus ad secundum Humani testimonij genus

Primò de legibus, & dictis tractationem habebimus; De lege humana loquimur, quę ex mente Iustiniani diuiditur in legem iuris communis, et iuris proprij

Ius commune, seu, quod idem est, ius gentium, est illud, quo omnes homines utuntur in fęderibus saniendis, in iudicijs, bellis, legationibus, conditionibus, & ceteris, quę illud non dicto sancitum, sed moribus, et quodam

dam naturæ iure ad bonum humanæ societatis inditum est
Ius proprium, seù Ciuile dicitur, quod est proprium alicuius Ciuitatis, Prouinciæ, aut Regni u. g. Ius Venetum, Romanum Gallicum; Quando uel scripto constat, uel longa consuetudine gaulatim receptum est
Atque Iuris quidem præcipuè proprij, Legumq. Ciuilium usus est in foro, cum tota uitæ Ciuilis, et societatis humanæ ratio his fermè Legibus contineat, atque proindè necesse est, Oratores qui uel forod accedunt leges omnes scire, ut ex his uarias pro re de qua agunt possint conclusiones elicere
Si igit. lex aliqua sit talibus scripta, et explicata uerbis, quæ rei nostræ fauere uideant. debet Orator ea cum dignitate, et pompa tractare, ne uel à Iudicibus prætereat, uel eludat ab aduersario. Et primò, quæ ad comendationẽ legis dici possunt afferenda sunt ea nempè esse uinculum Ciuitatis, quò dissolutè fiat omnis Ciuitas prædonum receptaculum, et sic quidquid de lege dici potest honestè afferre debet Orator; Si uerò lex prolata nobis non faueat refellemus illam, et infirmabimus dicendo: primò extinctã esse causã legis latæ proindè legis ipsius nullum ampliùs esse uigorem. Ità legem eludit quæ contra illum pugnat Cicero pro Rabirio, quando prudenter ostendit legem obiectam non esse amplius in usu. Secundò iniustè latam esse quod probat idem Cicero de lege Clodia. Primò ex causa efficiente, tum ex partibus insuper, si demonstraueris necessitatẽ aliquam faciendi contra legẽ, nulla enim lex adeò rigorosè expressa est, ut non possit cum metus, et occasio sese offerunt imutare: et hæc breuiter de legibus sint dicta

De Præiudicijs

Præiudicia sunt anteriora quædam iudicia, atque decreta, quibus Orator utit, et similem causam eadem ratione definiendam esse confirmat, etenim, quod iam proborũ hominum sententia confirmatum est, id omninò ei utile est, qui de eadem re causã habet. Hoc Tullius ostendit pro Archia Poeta: cumq. in Ciuitate retinendum concludit, quod et Tarentini, et Neapolitani, ceteriq. illum Ciuitate donauerint

Contra præ:

Contra Preiudicia est, si primò ostendamus causam esse dissimilem, preiudicium vitê factum non esse in aliquod nouum causę ab eo tempore accesserit, quod si in ea fuisset, nunquam talem sententiam tulissent Iudices, uel si nullo modo refelli possunt preiudicia, Iudiciesque in ea sententia persistant ad eos sit conuertenda Oratio, ac docendum nihil obesse eorũ costantię, famę, religioni, sententię mutationi quandoquidem sapientis est oblata occasione diuersa efformare Iudicia Pro preiudicijs hęc sunt, ut in illis citandis Orator eorũ auctoritatem commendet, qui eam sententiam decreuerunt; Deindè, ut examinet preiudiciũ, et causam, cum causa rem cum re conferat, ut in utraque similitudo ostendas. Multum proderit causam etiam nostram exagerare pluris, et ostendere grauiorem, et aliquid ponere in controuersia quod in ipsis preiudicijs.

Articulus Sextus

De Attinentibus ad tertium genus Humani Testimonij

Tertium humani testimonij genus continet Orationem tum liberam, tum expressã: quid sit libera, seu expressa Oratio diximus. De istis non nulla in presenti, & primò

De Rumore

Rumor ex Fabio lib. 4 cap 9 est sermo sine ullo auctore dispersus, cui malitia initium dedit, incrementum credulitas: quę definitio, quia tantũ rumores inanes describit, ideò ueris rumoribus non est tribuenda. Hos rumores subrostrarios uocauit Tel. quod sub rostris otiosè residentes nouos rumores aut captarent, aut fingerent: Hinc Horat. ser 2. sat. 6.

Frigidus à rostris manat per compita rumor

E contra graues, et ueri rumores sunt, qui costanti firmans omniũ opinione certo, et graui Auctore de re non adeò obuijs remota; nam tempus est lapis Lydius rumorũ, ut rectè monuit Tacitus Annal. 2°; Preter hos ad hunc etiam locum possunt spectare fama, sivè opinio, quã homines conceperunt de cuiuslibet moribus, et quę in aliorũ laudem et ui-

et vituperationem vulgò dicunt. Ita contrà famam militat Cic. pro Cel.
Quonam pacto debeat Orator in rumore, vel fama si sit pro se hoc patet, si verò sit contra ipsius, contra habet illud refellere, ac demonstrare inutile esse, ac proprium hominis insipientis rumori, ac famæ credere

De loco à Tormentis

Ab alijs vocant questiones, sive Iudicium publicum, et nihil aliud sunt quam cruciatus, quibus reus ad sceleris confusionem impellit. Duò sunt genera cruciatus, aliud grave, quod gehenam dicimus, in qua adhibent horrenda, ut est membrorum imanis extensio, aliud est leve, cum videlicet precibus, blanditijs, premijs, et promissis veritas ellicit.

Potest aliquis à tormentis questionem confirmare, eo quod plurimum valeant ad extorquendam veritatem, ut enim ait Liu. lib. decimo: urgente conscientia scelerati homines conspectum tormentorum non sustinent.

Ad confirmandam verò questionem, potest afferri quod fragilis sit et fallax, unde veritatem criminis non dixerit, sed potius illud dictum fuisse ad evitandam vim tormentorum.

De Tabulis, & alijs
Spectantibus ad tertium testimonij genus

Tabulæ sunt testimonia, quibus pactus contractus, stipulationes, testamenta, aut quid vis huiusmodi generis continet. Si tabulas pro se afferre debet Orator, illarum auctoritatem debet amplificare pluribus, & demonstrare veritatem ac fundamentum ipsarum; si è contra voluerit illas infirmare, demonstrabit integras non esse ab improbis, vel adversarijs compositas, & similia

Ius iurandum ad comprobandum testimonium inventum est, & definitur affirmatio, vel negatio rei sacre invocatione confirmata. Validus sane locus, et ità tutius ad dirimendas quaslibet controversias olim interponet apud Romanos maximè regnante Numa

Poterit igitur Orator à Iureiurando suam causam confirmare, sed notet
attentè

attentè mores quales enim sunt mores iurantes, tale futurum est ius iurandum

Sic Orator volens infirmare iuramentum poterit demonstrare alias speie vate, & falsum testimonium dixisse improbis morib. uiuere, deniq. nihil dignum fide in illo. e contrà si pro te alicui iusiurandum erit.

Testes sunt illi, qui presentes uoce, uel scripto fuerunt. In istis maximè considerat. fides, auctoritas & iustitia, & illi optimi habent. qui uel oculati, uel auditi sunt

Quę usque diximus de Locis communibus tam extrinsecis, quam intrinsecis ad augendam confirmationem, quantum inseruiant uidistis, nunc restat ut uideamus quomodò ad amplificandam orationem

Articulus Septimus

De Amplificatione

De modo amplificandę Periodi uidebitis suo Loco, nunc de modo amplificandę Orationis per res, uidendum igit. quidnam sit amplificatio, et quonam modo tractet.

Amplificatio igit. est plenitudo quędam, quę ex omnib. rerum adiunctis terminis, et locis roborat Orationem. Primum igit. est plenitudo non redundantia, qua planè significat per amplificationem fieri corpus Orationis uenusta quadam plenitudine consurgens, non tumore distentum.

Duo autem sunt, ut dixi, precipua amplificationis genera, unum fit per augmentum, et exagerationem. Hoc autem interest inter amplificationem per augmentum, et exagerationem, quod utraq. ampliorem facit Orationem, sed prima plus habet difusionis & ambitiosi circuitus. Secunda, de qua in presenti adiunctis rerum, & ponderibus magis auget, quam uerbis, ut uerò sciamus quęnam materia amplificationis; dico proprium esse Orationis prudentię hoc preuidere, nec temerè per amplificationem omnia dicere.

Primum res minutę, & exiles hanc Orationis laxitatem non admittunt

tunt nisi forte in ludo, aut facetijs: at quis dicet egregia laus est res paruas attollere ex Muscis Elephantes facere. Non negant Rhetores festiui esse ingenij quod multi diserti homines fecerunt res alioquin contentas, ut muscam & febrim, et alia similia Orationis beneficio in excultam quamdam attollere speciem grauitatis.

Sed negant id ipsum pertinere ad Orationis breuitatem itaque hęc scribunt. ludere se profitenƺ.

Quamobrem breuiter dico ad grauem amplificationem requiri quamdā materiā uel re ipsa, uel opinione hominū apud quos agimus. Tales sunt res diuinę, et cęlestes supra mentis nostrę intelligentiam positę. Nam, ut Aristoteles ait: omne ignotum pro magnifico est, item humanę insolitę, inusitatę, maximę, illustres, mirabiles, uel e contra dirę, atroces, funestę, calamitosę in quibus exagerandis solent triumphare Oratores

Alia sunt, quę nec ità magna sunt, nec ad contemptā exilitatē accedunt; sed medium quemdā obtinent locū, uel cum per se magna sint, non tamē talia uidenƺ auditoribus, in his amplificandis melius ars Oratoris, & industria conspicitur.

Rhetores non modo Gręci, sed etiam Latini elaborarunt in pertractanda amplificationis methodo, & forma, nos breuiter aliqua assignabimus capita, quib; uis tota amplificationis initur.

Primus modus amplificandi est per partium enumerationem, et fit cum sententia breuiter comprehensa, & quasi conuoluta per suas partes explicatƺ, huiusmodi exemplum clarum est ex hijs, quę diximus, dum de locis intrinsecis. Secundus per antecedentia quoties non contenti semel initium rei proponere singillatim ea quoq; commemoramus, per quę ad exitum peruentum est huius prćeptionis, hoc erit exemplum Cicero Catilinę conatus reprimit: id ità amplificabis Catilinę nefarios conatus per Iuuenes perditissimos totius Romanę Ciuitatis exitiū atque molientes M. T. Cicero sua

saga.

sagacitate statim adortus est singulari uigilantia investigauit, summa prudentia deprehendit miro in Rempublicam studio prodidit, incredibili eloquentia conuicit, grauissima auctoritate depressit, armis extinxit, magna felicitate sustulit.

Tertius per Causas quoties rem non nudam exponimus, sed altius etiam causas repetimus à quibus initijs sit profecta

Quartus per adiuncta quoties non simpliciter exponimus negotium, sed etiam enumeramus illa, quæ negotium comitans., uel consequuntur u.g. Bellum tibi acceptum ferremus, sic amplificabimus. Exaustum in barbaros milites erarium, fractam Latorij Iuuentutem, conculcatas Leges, abacta pecora, incensos passim Vicos, ac Villas, desertos agros, euersa mœnia, complanatas Domos, direpta Fana, tot orbos Senes, tot orfanos Liberos, tot uiduas Matronas, tot Virgines indigne constupratas, tot adolescentium licentia deprauatos mores, tantum funus, tantum luctum, tantum lacrymarum præterea extinctas artes, oppressas leges, obliteratam legem confusa diuina, humanaq; omnia tibi uni referremus acceptum

Quintus per descriptiones, quoties uel amplificandi, uel ornandi, uel delectandi gratia rem non simpliciter exponimus, sed ceu coloribus expressam in tabula spectanda, proponimus nos depinxisse non narrasse, lector spectasse, non legisse uideas. De hac, exempla passim apud Auctores

Sextus per digressionem. Digressio autem ex Quintiliano alicuius rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis extra ordinem excurrens tractatio. Adhibetur autem digressio, aut laudandi, aut uituperandi, aut ornandi, aut delectandi gratia

Aduertendum tamen est hanc amplificationem diligenter tractandam esse, nec temere, ubi multa, & necessaria res ipsa supeditat argumenta ad alia digrediamur.

Septimus per Gradationem. Gradatio verò est figura, ut suo loco videbitis, per quam ità ascendit Oratio, ut semper incrementum acquirat; Ut Cicero in Catilinā.

Octavus per Conglobatas Definitiones. Talis est amplificatio Divi Grisostomi, ubi Crucem sic describit. Crux totius beatitudinis causa, discordiæ amputatio, pacis fundamentū, bonorum omnium copiosa largitio, salutis inditium, sol Iustitiæ, spes Christianorum, Cæcorum Dux, Claudorum Baculus.

Insuper Orator quotiescunque rem aliquā amplificare voluerit, diligenti prius examine communes locos discurret figuras omnes tū Verborum tū Sententiarum, observatit et ex varijs rebus quasi perfectionis flosculos.

Hæc quæ hucusque dicta sunt amplificationi inserviunt, ut dixi, quæ ex rebus desumitur, de amplificatione per verba deinde de Elocutionē tractabimus, et hic libri primi de Inventione sit

FINIS

Digitus Secundus
hoc est
Liber Secundus de Dispositione

Indice uiam monstrat Mercurius in Triuio positus, & uiam indicat, qua ad Reginę Eloquentię Templum peruenire possitis. Ne pigeat igitur monstratum percurrere iter, ut exoptatam metam facilius attingatis. Dispositionem Rhetoricam hoc in libro examinamus, & merito; Nam ea quę inuenta sunt ab Oratore debent suis quęque locis ordinatim disponi, et sicuti Inuentio ingenium exposcit, ita Iudicij uires Dispositio requirit. De hac igitur in pręsenti tractabimus, & sit.

Cap. Primum
Quit, et quoduplex sit Dispositio

Dispositio, ut patet ex dictis, est rerum inuentarum in ordine Distributio, per quam uidelicet Orator certo quodam ordine disponit ea, quę iam habet mente inuenta: Ex quo patet, quod sine dispositione omnia essent confusa, & ueluti Caos.

Partes Dispositionis sunt pauca, & pręclara seligere possumus ex ampla rerum copia, quas siue Lectio Auctorum suggerit, siuè fons ingenij profuderit. Vehementer enim errant, qui in eo decus Eloquentię situm putant, si quam maximè prolixas Orationes habeant, & nihil eorum, quę excogitauerint, aut inuenerint, omittant; Ex qua cupiditate fit, ut non modo communia, sed aliena quęque, & frigida amplificationis desiderio intrudant.

Iudicium igitur dispositionis principio, inuenta omnia maturius examinet, aliena repudiet, negligat communia, rara sint ad rem fuerint, ingrauatè relinquat, eligat pulchra, neruosa florida, et quod maximum est rectè ad rem ... Dis-

Dispositio à Dialecticis uulgò in tria genera diuiditur: Una dicitur Naturalis, altera Arbitraria, tertia Artificialis

Naturalis est, quæ naturæ ordinem sequitur, atque imitatur, et fit quatuor potissimum rebus Tempore, Natura, Loco Dignitate

Ordo Arbitrarius est, qui nulla certa ratione constat, sed solo dicentis, aut scribentis arbitrio dispensatur

Artificialis est, qui ab arte ad aliquem destinatum finem, aut voluptatis, aut utilitatis dirigitur, ex quo plerumque minimè seruato naturæ ordine prima posterioribus subiungit. Talis est Ordo Poetarum, qui de industria res ab Ouo non incipiunt, sed à fine, aut medio, deindè principia data occasione intermiscent, quo magis pendeant animi, & plus ex inopinato rerum euentu colligant suauitatis

Porrò Aristoteles Artificialem Dispositionem diuidit in Analyticam, seu Resolutiuam, Compositiuam, & Definitiuam.

Analytica quatuor modis fieri, constituique solet. Primò quidem cum à toto ad partes, quas Philosophi integrantes, Cicero partes totius appellat, fit processus: ut si quis de toto homine primum dicat, deindè singulas corporis partes discutiat. Secundus est, cum non in partes totius, sed in partes generis fit gradatio, ut si explicata fortitudine, disseram posteà de magnanimitate in aggrediendo, et de patientia in tolerando. Tertius cum propositio aliqua gradatim in sua principia resoluitur, ut si dicam tolerandum esse dolorem, quia honestum, et honestum quia cum uirtute coniunctum. Quartum cum à fine ad media per similem gradationem instituitur regressus, ut si quis præuideat Rhetoricæ finem esse persuadere, persuaderi non posse sine benedicere, benedici, sine elocutione, elocutionem constare uerbis, quasi corpore, rebus non secus ac anima, ideò incoandum ab istis illi, qui uelit ad destinatum scopum peruenire.

Composi-

Compositiua est superiori contraria, & fit cum à partibus totius ad totum ascenditur.
Definitiua ex utriusque temperie conflatur, et fit cum res in genere primum definitione explicatur; deinde in partes, siue species tribuitur quæ & singulæ descriptionibus, proprietatibusque suis illustrantur. Et hæc de dispositione in communi; Quod uero ad dispositionem oratoriam sit

Cap. Secundum
De dispositione Oratoria

Dispositio Oratoria primum iuxta tria causarum genera consideratur, deinde attenditur iuxta partes & corpus orationis. Circa dispositionem primo modo consideratam hæc sunt adnotanda.
Primo debere in principio reffelli ea, quæ ab aduersarijs proposita sunt & contra nos allata, ut facilius uiam nostræ causæ faciamus, hoc passim Demostenes, hoc Cic. prestant
Secundo omnia disponuntur naturali ordine secundum hanc saltem rationem, ut prius dictum subsequens fulciat, adeo ut postremo loco ualidiora argumenta ponantur.
Tertio si auditorum animi iam fuerint aliorum dictis preoccupasti, adeo ut mediocribus rationibus deuinci non possint, tunc primo robustissima quæque proponuntur, quibus ueluti impressa opinio maiori impetu conuellatur.
Quarto si auditorum animi rationes proferant & expectent sedata, et molli insinuatione leuiora aliquando subijciuntur, quibus gradatim ad maiora ascenditur.
Quinto, & hoc usitatissimum est Robusta initio, Robustiora in fine, Inualida quasi inbellis turba in medium conijciuntur.
Quod ad partes attinet Orationis. Exordium preit, Narratio succedit aut Propositio, quam Confirmatio subsequitur, & hanc Peroratio complectitur.

Quatuor

Quatuor sunt ergo orationis partes mox enumeratæ. In quo tamen aduertendum pueros, & rudes uehementer errare, qui putant nunquam esse iustam orationem, nisi hæc omnia secundum communes Rhetorum sholas fuerint religiose seruata.
Sed dices habet etiam locum in Orationibus Confutatio, per quam uidelicet aduersariorum argumenta refelluntur. At nos dicimus non esse partem distinctam à confirmatione, quod sic probatur, tam per Confirmationem, quam per Confutationem sibi dicenti fidem abstruit Orator, & certe maiorem illius uerba fidem habuerunt, si falsa prius demonstrabit ea esse, quæ sunt ab aduersario allata: confutatio ergo à Confirmatione non destinguitur, sed in illa includitur. Singulas ergo Orationis partes inuestigemus & sit.

Articulus Tertius
De Exordio

Exordium definitur Vestibulum Orationis præparans Auditorem ad reliquam dictionem. Triplici ex capite exordium habet Orator, nempe ut beneuolos, attentos, & dociles auditores habere possit.
In quo aduertendum est, duo esse exordiorum genera. Unum necessitatis, alterum ornatus, atque pompæ. Exordium necessitatis indicat finem, cuius gratia sit oratio: et hoc quidem est familiare grauibus & negotiosis orationibus sine fuco, & sine uerborum circuitione. Exordium ornatus atque pompæ uarium esse solet pro inuentione, & expolitione ingeniorum, et conuenit Orationibus, in quibus, & Eruditio, et delectatio expectatur.
Uerum, ut commodius exordiri possimus, & optime sciamus quomodo beneuolentiam, attentionemque captemus, et reliquas exordij uirtutes sequamur quatuor illa genera causarum non sunt omittenda, quæ à Rhetoribus exponuntur, quæ porrò sunt Honestum, Turbe, Dubium, & Humile
Honestum igitur causæ genus est cum laudamus, uituperamus, dissuademus

demus, oppugnamusq. quod omnib. ita faciendu videq: ut cu bonos laudamus, malos uituperamus, pacem suademus, dissuademus belli, &c. Si igitur honesta causa habebimus non erit necesse, quod auditorem nobis conciliemus, nisi uel ia audiendo erit defatigatus, uel in aduersarior. sententia ire uideatur.

Turpis causa habetur, qdo honesta res oppugnat. aut turpitudo defenditur, solet autem hoc ut plurimu fieri exercitationis causa. Ad turpe referri poterit admirabile, aut paradoxu. In turpi itaq. causa spectat. simul res & psona, in qua est turpitudo: ~~ut si pro Parricida~~ Res, ut adulteriu, inimicitia, odiu, coniuratio, proditio & huiusmodi: psona in qua est turpido, ut si pro Parricida filiu suu oppugnans, pro seditioso pacificu. Redit. etia causa turpis auditor. gratia, ut si quis apud Cic., & Demos. se eloquente quis uellet demonstrare. Si igitur causa turpitudinem, aut admiratione, seu paradoxu contineat, aperto uti principio minime conuenit, cu auditor. animus alienus à nobis satis constet. Insinuatione igit. uti opus erit, qua paulatim in auditor. animos ingrediamur. Quid uerò sit hæc insinuatio, uidebimus du de specie exordij.

Dubiu causæ genus est, cu partim honesta partim turpis causa uideq. quotiescunq. igit. hoc genus causæ acciderit beneuolos faciemus Auditores, non tamen ante qua ea parte, quæ turpitudine in se continet diluemus. Humile causæ genus est, cu res uilis, et contempta effertq., ut cum de formicar. Rep., de laudib. Asini, & similia. Quo casu huiusmodi causas cu contemptu Auditores accipere solent, unde tunc debet Orator illos attentos sibi reddere.

Articulus Quartus
De Partib. Exordiorum

Quatuor sunt partes Exordij Propositio, Ratio propositionis, Redditio

& Ra-

et Basis. Propositio est pars Exordij in qua enunciatur aliquid deductum ex locis, ex quibus desumuntur exordia de quibus mox. Ratio vero, confirmatio est propositionis in qua probatur, illud quod in propositione enunciatum est, et haec potest fulciri, et amplificari pluribus modis. Reditio ad id descendit de quo agendum est id vero fit uel negando, uel affirmando dictum in propositione. Basis est exordij conclusio, ex qua ad narrationem transimus, et exordium quasi caput cum reliquo corpore connectimus.

Potest addi una, uel altera singulis exordij partibus, siue etiam plures rationes.

Aduertendum tamen hos exordiorum canones ab Oratoribus non ita religiosè praescribi, ut ab illorum numero piaculum sit aliquando recedere. Potest enim exordium sola propositione, et ratione propositionis constare: Non semel Propositione, Reditione, & Basi.

Articulus Quintus

De Locis ex quibus desumuntur Exordia.

Quatuor potissimum è fontibus educuntur Exordia. A visceribus causae, ab Adiunctis, à simplici expositione rei, à fabulis historijs sententijs, & similibus.

Quotiescunque desumendum erit à visceribus causae, statum Orationis diligenter expendemus, et particularem quaestionem ipsam tractandam susceptimus, uertemus in universalem quae hoc modo universaliter considerata fit prima pars scilicet propositio, quam excipient reliquae partes ordine tradito illa tamen propositio esse debebit à fine quaestioni: res clara erit exemplo v. g. status, circa quem nostra versatur Oratio est an tempore aestiuo feruentius danda sit opera studijs, quasi sit magis litteris opportunum. Quaestio haec particularis fiet universalis, si dicatur omnia sibi opportunum

requirere

requirere tempus, quod confirmabis si dicas flores vernum tempus fructus autumnale sibi exposcere. Hinc descendemus ad redditionem ad particulares videlicet questiones affirmantes studijs quam aptius esse tempus assignandum: et hoc in Basi estivum esse tempus concludemus, et ad reliquum orationis progrediemur.

Ingens patet exordiendi campus ab Adiunctis complectis enim quaslibet quomodocumque ad res spectantes circumstantias, quarum numerus vix potest iniri: quotiescumque ergo exordiendum erit ab Adiunctis diligenti examine investigabimus ea, quæ cum re sunt coniuncta, videlicet tempus, personas, et locum. Et ex aliqua vel pluribus earum carpet Orator propositionem quam ratione confirmabit si opus erit, et ex istis ad reliquas partes descendet: extant passim huiusmodi exordia apud Oratores, nam horum frequentissimus est usus.

Ducetur exordium à simplici expositione rei cum in ipso vestibulo rem tractandam proponimus deinde ad reliquas exordii partes procedimus. Rem autem proponimus vel tacite vel expresse. Expresse cum rem tractandam in initio apertis verbis declaramus. Tacitè cum multis utimur circuitionibus verborum ex quibus facile colligi possit quodnam sit nostræ orationis argumentum.

Ab exemplis fabulis et ceteris exordimur si prius aliquid ex his apposite narrem. deinde cum aliquo ingenij specimine subnectam redditionem quæ scita erit in convenientia, quæ intercedit inter argumentum orationis, et ipsam rem enarratam: mox ad Basim descendimus proponendo rem, de qua agendum sit.

Articulus Sextus

De diversis Exordiorum Speciebus

Multa sunt exordiorum genera quæ diversis causis præponuntur. Difficilima est insinuatio, quæ est exordium insidiose, & occulte

in animum

in animum auditorum, uel in causam ingrediens. Ad hoc ut illum, qui alioquin prebuisset nostris dictis minus beneuolas aures attentum nobis et beneuolum facimus, et hęc est differentia inter exordium apertum, quod patenter sibi aditum patefacit ad dictionem, et exordium subdolum, quod alio nomine Rhetores dixerunt insinuationem.

Triplici autem ex causa, et occasione insinuatione uti opus erit. Primo quando res turpitudine laborat et ab honestate discedit: Secundo cum Auditoris animum iam alia Oratione persuasum animaduertimus: Tertio cum audiendo defatigatus est.

Quando ergo causa minime ęquitati coniuncta est, exempli gratia quando defendendum est omicidium ab altero patratum exordiri ponimus ab exageratione turpitudinis ipsius rei, uel facti, et mox paulatim illud idem extenuamus, et in causam ingredimur, et nil turpe uel crimine dignum in eo asserentes inuenire hoc artificio usus est Cic. in Oratione pro Ligario, & hoc insinuationis genus ualde animum auditoris nobis conciliat dum enim in crimen excandescimus eius turpitudinem damnare uidebimus, et dissimulamus accusare quando re uera defendere uolumus

Cum iam animus Auditoris alio dicente diuersum à nobis imbuerit sententiam omnibus uiribus nitemur imminuere illorum opiniones, qui ante nos orationem habuerunt, ita ut auditor non omnino dictis fidem prestat, sed de illorum ueritate dubitet, quod quidem prestabimus si pollicebimur nos dicturos contra id, quod firmissimum sibi portauerit presidium aduersarius hoc enim pacto maxime imminuitur fides alienis dictis dum longe à uero distare demonstramus, quibus tota uis confirmationis illorum nitebatur, et maxime opportunum erit exordiri ex confutatione alicuius argumenti nuperrime ab aduersarii allati; Hoc enim sublato facillime adstantium

stantiũ merebimur attentionẽ et ad hęc licebit dissimulare nos ancipiti animo uersari quid primo loco dicendũ uel respondendum sit. Legite Ciceronem pro Cluentio, quando Auditorem audiendo defatigatũ, uel quauis alia causâ alienatũ animaduerterimus pauca ex multis delibaturi pollicebimur. Hinc breuiter quod à nobis propositũ est exponemus. Vel etiã (modo id causa patiatur) à fabula uel ioroso dicto initiũ capiemus, ut alioꝝ animi recreati sufleuent.

Articulus Septimus
De Exordijs
ex Abrupto

Exordia, quę dicunt. ex Abrupto sunt ea, pᵉ quę statim deuenimus ad id, quod nobis tractare in animo est et eruntꝫ ex ijsdẽ locis e quib. reliqua exordia sed potissimũ ex adiunctis loci seu psonę. Adhibent. in reb. prefervidis et in reprehensionibus, expostulationibus, uel in reb. luctuosis ut in funerib. in calamitatibus, Vrbis depopulatione & similibus.

In rebus prefervidis opportunũ erit pᵉ inuectiuã initiũ Orationis desumere, et uidere est apud Cic. i Catilinã.

In rebus luctuosis deploratio seu lamentatio initiũ facit: Hoc pacto exorditus fuit Gallus, Cicero Marcus Antonius Muretus nulli post Tulliũ aut sermonis elegantia aut sensuũ puritate & pondere, uel uera Latinitate secundus i Oratione habita de Morte Regis Francoꝝ, quã exorditur his uerbis. Hoc igit. unũ restabat afflictis ac pene profligatis infelicis Gallię reb. &c. Simili quoꝗ ratione Augustinus Mascardus, qui selectissimas Orationes nostro idiomate longè quã dici potest ornatius, atꝗ. eruditius conscripsit in parentalibus Francisci Gonzagę exorditur

dig. ex Abrupto & deplorationes desumptas ab Adiunctis sui met. illas legite, quæ est tertia in eius Orationum serie

Articulus Octavus

De Exordijs Vagis

Sunt quædam exordia, quæ vaga non nullis apellare placuit, eo quod non adeo certas, et determinatas regulas quæ cæteris præscribitur habeant. Alio nomine dicuntur præfatiunculæ, sive Lectiones, quæ ante disputationes haberi solent. In istis est attendenda materia, de qua disputandum est adstantium frequentia, propositionis ingenium, et præcipuè uir cuius auspitio et nomine res discutiendæ proponunt. & ad hæc accommodanda erit præfatio. Plerumq. deducit à Fabulis Historijs, uel illustri facto quæ tamen ad res debent referri. Sed inprimis laudatq. præfatio illa, quæ aptatur imagini, seu impresiæ, quas coloribus exprimere solemus ante Teses publicæ disputationi expositas: Omnia tamen referri debebunt uel disputationi agendæ uel nobis, uel ijs, quibus eas uolumus dicatam quorum etiam gentilitium stema considerandum erit & ex eo deducenda auspitia erunt, et præsagia futuræ uictoriæ in hoc domestica pugna et amica consequendæ.

Articulus Nonus

Quomodo captetur benevolentia in Exordijs

Suppono omnino certum tria esse Exordiorum officia nempè benevolum, attentum et docilem auditorem: igitur qua ratione hæc officia impleantur uidendum est. Incipiemus à benevolentia, quæ captatur à re ipsa à personis et ab Adiunctis personarum, et rei tractandæ. A re benevolentia conciliatur, si exponemus res nostras ut honestas, iustas, necessarias cognitione, fauore, & commiseratione dignas. A personis fit benevolus auditor. Nomine autem personæ intelligimus

nos met=

nosmetipsos, auditores, adversarios, Iudices, et omnes, qui adsunt. Si ergo de nostra persona sermo habes, laudabimus nostrum officium, et merita in Remp., et alia, quæ ad nos spectant modeste tamen, ne inuidiam nobis conciliemus: Quod factum sæpius[ne] uidistis á Cicerone.

A persona adversariorum audientium animus capimus, illos adducendo uel in odium, uel inuidiam, uel contemptum. Adducemus in odium si enumerabimus eorum uitia & scelera: In inuidiam si spe uincendi in potentia, in opibus, in fauoribus, & alijs artibus hostes collocasse demonstrabimus. In contemptum deniq. si illos et inertiæ luxui otio socordiæ addictos condemnabimus. Consulite Ciceronem prima in Verrem.

A persona auditorum concilias nobis beneuolentiam eos laudando, citra tamen adulationem integritatem, mores, aliaq. bona tum animi, tum corporis celebrando.

Concilias tandem beneuolentiam ab adiunctis si protulerimus in medium quæ cum re sunt coniuncta, et aliorum in nos allicere possunt amorem, ut sunt Parentes, Filij, Coniux, Propinquitates, familiaritates communis Patria, & huiusmodi: At in persona eius, qui defendis considerabis innocentia, uirtus, uirtus, nobilitas, fama, claritas, & huiusmodi.

~ Articulus Decimus ~

Qua ratione captes docilitas, & attentio.

Similiquoq. modo captas attentio á persona nostra uel á re ipsa: A persona nostra, si dicendi usum, prudentiam, cognitionem, studium, uirtutem, et existimationem absq. arrogantia tamen attingamus. A rebus ipsis si de magnis, mirabilibus, non amplius auditis, et tum ad Divinum cultum, tum ad Deorum, qui adsunt utilitatem pertinentibus pollicebimur nos dicturos esse.

Docilitas captas breui quadam rei dicendæ propositione seu partitione, quæ dicenda distribuat in plura capita, uel ut uulgo dicis in plura puncta: Sic enim fiet, ut qui docendus est intelligat de quibus agere uelimus et

Libenter

libenter edoceri permittat.
Adnotate ut innui n[on] omnes causas requirere ab Oratore ut sibi attentu[m], docile[m], & beneuolu[m] reddat auditoris animu[m]: aliq[uan]do enim satis erit quod unu[m] tantu[m] prestet. Si eni[m] agit[ur] de re honesta superfluu[m] erit uti arte ad beneuolentia[m] & attentione[m] captanda[m] cu[m] res ex re ipsa alior[um] gratia[m] et attentas aures exposcat: Si res sit anceps & dubia uel aliqua difficultate inuoluta reddendus erit beneuolus auditor. Si obscura nec primo intuitu facilis captu, docilitate uti opus erit, si humilis, attentione.

Articulus Undecimus
De uirtutibus Exordiorum

Illud diligenter attendere debet Orator in primis ut ita tractet Exordia ne id prestent quod nullo pacto debent efficere. Prima itaq[ue] Exordij uirtus est ut recte ad causa[m] colliniet Exordiu[m], & proprium sit hoc est, ut illud munus adimpleat quod rei tractande conueniens v. g. ut non reddat attentu[m] auditorem, cu[m] docilis est reddendus.
Secunda uirtus est, ut maxima cu[m] accuratione tractet[ur]. Sic ut Verbis, & Sententijs sit optime instructu[m], et uenusta quada[m] grauitate dispositu[m].
Tertia, ut sit uerecundu[m] ne nimis quia[m] par est intumescat uerbor[um] ambagibus sententiaru[m]q[ue] circuitionibus.
Deniq[ue] illud caueat diligenter Orator ne nimis prolixe protrahat, uel breuitate constringat, sed moderata[m] quanda[m] contineat forma[m] ad hoc ut cu[m] reliquo corpore optime conueniat. Proportio igit[ur] seruari debet inter exordiu[m], & reliqua[m] Orationem ea, que maxime inter faciem, et reliquu[m] corpus; Sicut enim monstruosu[m] esset corpori humano habenti ordinaria[m] statura[m] caput Gigantis, uel è contra sic exordiu[m] nimis oblongu[m] nullo pacto conuenit Orationi.

Hec de uir-

Hæc de virtutibus Exordior. sunt observanda, ut sint propria: q.d. ex re præsenti vel ex aliqua circumstantia tali pacto deducitur ut non videatur olim domi paratus, sed tunc efformatus: Tale est Exordium pro Mil. Quando inopinatus aliquis eventus proprium facit initium vel q.d. ab aliquo adversarij dicto exordimur, præsentis desumptum ex ultima parte Orationis eiusdem.

Articulus Duodecimus

De vitijs Exordiorum

Primum quod cavere debemus in Exordijs vitium est, ne sit nimis plus iactabundum, aut affectatis contextum verbor. formulis, et hoc præcipue vitandum erit in rebus gravioribus et magni mom.ti, in quibus pro opportunitate erit temperari ab omni verbor. fuco & artificioso apparatu, nec adeò accurate exquisitis dicendi formulis studere.

Secundum est nec in Exordio inspergans argum.ta, quibus confirmationi ti deservet.

Tertium cum quid quid in os venit nullo ordine servato vel rer. conexione dat Orationi initium; Nam tali arte conexenda sunt Exordia, ut paulatim & proportione servata progrediamur ab una ad aliam partem, et aliquo pacto omnia cum Orationis corpore coniungans, ne ut Flor. loquis.

Humano capiti cervicem addamus Equinam

Quartum cum Exordia communia, et vulgaria, quod tunc fit quando pluribus causis accommodari possunt, et omnium rer. occasionibus inservire.

Quintum cum plus æquo protrahuns, et nimis longa sunt, ita ut breviori corpori Gigantis caput videamur adiungere. De his potest usurpari illud Diogenis dictum, qui in Mida Urbe parum magnitudinis,

sed quæ

sed quæ portas magnificè instructas, & sublimi magnitudine habebat, exclamavit Viri Midi portas claudite, ne Civitas vestra exeat. Quare Exordium correspondere debet Magnitudini Orationis ita ut si tota Oratio septem paginas impleat, unam Exordium occupet.
Sextum cum fiunt commutabilia hoc est, cum paucis mutatis retorqueri possunt in Auctorem, vel ab Adversario in contrarias partes usurpari non admodum dissimilia lapidibus in caput projicientis recidentibus, vel sagittis ex arcu emissis, et in iaculatorem revertentibus.
Septimum cum sunt translata, scilicet cum aliud præstant quam causæ genus postulat ut si attentionem requirat ab Auditore, cum occupanda esset illius benevolentia non dissimilis illi qui cum vulneris mederi teneretur, vel aliorum sublevare famem ægrotantis dolorem inanibus demulcedret concionibus & intempestive conendi artem edoceret.
Hæc sunt, quæ in Exordijs vitanda ex quibus clarius ipsarum virtutes dignoscuntur. Quæ diligenter sunt adnotanda, ut omnibus numeris absoluta Exordia possimus contexere.

Articulus Decimus Tertius

De Narratione

Explicavimus breviter ea quæ de Exordijs erunt dicenda, doctrinæ ordo nunc postulat, ut ad reliquas Orationis partes descendamus caputque suis membris adiungamus. Cum igitur Exordium excipiat Narratio, de ea nunc dicemus.
Narratio igitur est rerum explicatio, et quædam quasi sedes, seu fundamentum Confirmationis. In ipsa enim inseruntur quodammodo semina argumentorum, quæ postea in Confirmatione clarius exponuntur.
Tres debet habere conditiones Narratio. Prima est, quod sit brevis, idest quod in Nar-

quod in Narratione alicuius rei non debeat Orator ea adeo prolixe expli-
explicare, sed ea tantum attingere, quæ necessaria sunt causæ. Tunc ergo brevis
erit Narratio, si ea tantum exponet quæ satis dilucide possint explicare pri-
mam propositionem. Legite Narrationem Cic. pro Mil.
Secundo ut sit clara, et sine fuco, non enim debet Orator cum aliquid vult enarrare
exquirere sublimes dicendi formulas, uti translationibus, inflatum stylum sectari
sed puritatem sermonis demonstrare, ita ut statim ex ipsis verbis percipiat
auditor Narrationem.
Tertia ut sit probabilis, talis debet esse Narratio adhoc ut ea, quæ dicuntur fidem
inveniant apud Auditores. Tunc verò probabilis erit Narratio, si dictum vel factum
aliquod exponet cum talibus circumstantiis quæ inter se non repugnant.

Articulus Decimus Quartus

De Narratione in particulari.

Narratio secunda pars est Orationis, in qua res gestæ ad confirmandum vel do-
cendum exponuntur, et ait Cic. et ego innui, est sedes, et fundamentum Confirmationis.
Non habet tamen locum Narratio in quacunque Oratione, nec semper eadem de causa
adhibetur. In Orationibus quæ laudem vel vituperationem continent vel nullam pror-
sus adhibemus Narrationem, vel si illa utimur, ad confirmandum, vel docendum inser-
vit.
Deliberativæ Orationes cum sint de rebus futuris nullam videntur exigere Narra-
tionem cum illa versatur circa res præsentes vel præteritas.
Igitur Narratio proprium habet locum in Orationibus generis Iudicialis tam ad
docendum quam ad confirmandum. Qua ratione autem Narratio tractanda sit
pro Orationum diversitate suo loco videbitis.
Debetis tamen advertere quod in Narratione, quæ ad docendum inservit semper
primo loco exponenda sunt ea, quæ factum antecesserunt, ut sunt dicta appara-
tus, consilia, causæ, & huiusmodi circumstantiæ, deinde ipsum factum, et
quæ tandem cum eo sunt coniuncta, denique quæ illud sunt consecuta. Quod
tamen

tamen observandum erit tunc solum qd.o opus erit factum à principio repetere.
Solet diuidi Narratio, ut est apud Aphtonium i Historicam, Dragmaticam, & Fabulosam. Narratio Historica est, quæ alicuius rei ueritatem continet. Dragmatica quæ res nostro Marte sed cum uerisimilitudine confictas explicat. Fabulosa quæ res omnino poeticas complectitur.
Duplex item assignatur Narratio. Altera, quæ dicitur principalis, altera uero minus principalis. Prima est quæ necessario debet adhiberi tanquam totius confirmationis fundam.um: Secunda quæ etiam dici potest digressio, est, quæ necessario ad controuersiam non pertinet, sed fit exercitationis causa, semper tamen hæc digressio debet aliqua ratione ipsi causæ principali cohærere.
Licet non nulli propositionem statuant partem Orationis particularem, & à cæteris distinctam, tamen non augendas censemus assignatas Orationis partes, cum propositio illis possit admitti, atque adeo non sit pars necessario ab ijsdem distincta. Dicimus ergo propositionem esse Orationis particulam, qua totius rei tractandæ summa proponitur. Hæc interdum Narrationem excipit, et sic erit principium Confirmationis, ut uidere est apud Iullium pro Mil., interdum subsequitur Exordium, & sic principium dicitur Narrationis.
Propositio autem duplex est altera simplex, altera composita. Prior illa dicitur, quæ nude, & illa sine distributione proponit, et hæc ut plurimum Exordia claudit quæ sane aliqua semper propositione debent terminari. Secunda, quæ dicenda diuidit i plura capita (quæ ad summum quinque admittuntur) hæc propositio fit i principio Narrationis, quia quæ confuse exposita sunt in Exordio singillatim, et clarius sunt exponenda post ipsum V.E. habiturus Orationem i laudem Ieiunij proponit i fine Exordij se habiturum illius encomia, sed ut clarius procedat suam propositionem distinguet i principio Narrationis, dicendo V.E. se propaturum Ieiunium non minus prodesse animæ quam

corporis

corporis
Multis modis possunt variari propositiones, ita ut res alioquin tritę, et vulgares n. nullis mutatis verbor. terminis admirabiles reddant. sibiq. auditoru attentione concilient.
Primò propositio, quę sit ex se tertiss.ma apud omnes noua reddi poterit si proponat problematicè sit exemplu, intendit probare ex ambitione, qua plura Mundo deriuari damna: Hęc propositio eo quod sit acceptiss.ma et nota omnib. non ea habebit attentione ac si proponat. his terminis, an maiora attulerit damna ambitio, an commoda: Hic modus proponendi attentione Oratori conciliat.
Secundò noua, et admirabilis euadet propositio p comparationem u.g. Hęc propositio, mali sunt aliqd. utiles uirtuti, nihil habet dignu attentione hęc propositio nisi fiat comparatiua, idest uirtute plura improbis debere qua improbis, et illico est admirabilis.
Tertiò si conflet. ex contradictorijs, ut minus dare est mors miseris, qua felicibus: Hęc propositio fiet admirabilis enumerando contradictione hoc pacto felicitatis genus est infelice mori: ijsde fere argum.tis utraq. propositio probatur, hęc tamen secunda maiore habet uenustatem.
Quartò reddit. noua si reducat. ad Paradoxu hoc est ad rem ab hominu opinione remota u.g. uis probare homine malor. sibi auctore esse, fiet noua hęc propositio si paradoxicè dicat nemine lędi nisi à se ipso, et similia, quę uident. propè incredibilia, ideoq. magis excitant auditore ad hoc, ut gratos prębeat aures talia proponenti.
Vos tamen uix admoneo, ne ex nouitatis illecebra degeneretis in ineptias et du nimis studiose attentione uenamini beneuolentia amittatis. Quis enî benigne eius accepit Oratione qui nouitatem in rebus proponendis affectans dicit Virgine esse Maiore Deo, Josephe
superiore

superiores Divinitati, Tribulationes esse iucundiores Paradisi gloria & similia; Nam in ijs una cum novitate, qua delectant, admixta est temeritas, et nimis audax Hyperbole, qua displicent, et visum movent.

Articulus Decimus Quintus
De Confirmatione

Videbimus hoc capite ea omnia, quæ ad Confirmationem spectant, et quamvis intrinseca et extrinseca Loca iam sint explicata, ea quæ supersunt afferemus.

Confirmatio est tertia pars Orationis in qua proponuntur argumenta ad probandam Orationem. Dupliciter consideratur, et prout affert argumenta, et dicitur Confirmatio, et prout adversariorum argumenta refellit, et dicitur Confutatio.

Totum igitur robur Orationis in hac Confirmatione situm est quare in ea Orator omnium suarum virium conatus expriri debebit, ut optatum finem assequatur. Hoc Loco afferenda essent argumenta tum intrinseca, tum extrinseca, sed quoniam de ijsdem dictum est, ad ea quæ dicta sunt necessario mente repetenda vos remitto.

Articulus Decimus Sextus
Quonam ordine debeant argumenta disponi

Non solum totius Confirmationis Dispositionem, sed etiam ipsorum argumentorum considerare debet Orator.

Hoc autem pacto argumenta sunt ordinanda ut primo et ultimo Loco argumenta habeant locum fortiora, medium teneat debiliora. Et ratio est quia in principio necesse est, ut animum auditoris capiamus sicque validissimis argumentis illius animus est persuadendus; In fine vero validissima item argumenta requiruntur. cum enim post illa, sententiam elicere debet auditor, pro nobis id faciet, si habebit memoriæ ea quæ ultimo Loco dicta sunt esse efficacissima, hæc est dispositio argumentorum.

Item in Con-

Itē in Confutatione hic ordo servandus, ut quę fortiss.ma ab adversario sunt allata argum.ta et primus diluamus: Hoc prestat Cicero pro Mil., ut uidistis. Et ratio est quia cū Iudicis animus sit iā preoccupatus debet Orator infirmare illius opinionē, et hoc prestabit demonstrando falsitatē illorū, quibus precipue illius animus fuerat preoccupatus. Verū quidē est, quod n̄ omnia argum.ta ab adversario prolata sunt necessario confutanda, sed ea solū, quib: illius Oratio precipue nitebatur.

Porrò suas habet Confutatio figuras, quibus precipuè Oratores utuntur, et sunt Sermocinatio, Exclamatio, Subiectio, Interrogatio, Indignatio, et alię de quibus suo loco dum de Locutione. Interī ea observate ex Auctorū lectione, et precipuè Ciceronis Oratorū omniū meritiss.mi Antesignani.

Porrò ut à quo inceperit desinat hic articulus diligentiss.me advertat Orator non omnia argum.ta ingerenda confusim in Oratione, sed tali pacto disponenda, ut ex illorū explicatione veritas propositionis innotescat.

Articulus Decimus Septimus

~ De Epilogo ~

Coronidem tandē imponit Orationi Epilogus, seu peroratio. Epilogus ergo est ultima pars Orationis, eius terminus, seu exitus, uel Conclusio. Diverso modo pro diversitatē causarū disponenda Peroratio, et diverso modo tractanda.

Aliqd.o enim restringenda sunt allata argum.ta quando plures videlicet habuerit Orator actiones, et nimis longā Orationē; Ad hoc enim ut auditoris memorię inhęreant argum.ta, quę per totā Orationē dispersa fuerunt, debent simul breviter, et per compendium disponi, ut illorū ui exercitatus auditor iustā possit ferre sententiā.

Suas habet par.

Suas habet partes Perroratio, & sunt Enumeratio, Indignatio, et Conquestio. Enumeratio est Pars Perorationis in qua fere res omnes dictæ simul congeruntur. Indignatio est pars eiusdem de qua concitatur odium in adversarios de qua dicemus de affectibus. Conquestio est pars illa in qua commiseratio excitatur de qua etiam in motibus.

In hoc ergo Epilogo proprium habent locum affectus, tunc etenim excitandus est auditor vel ad amorem vel ad odium vel ad misericordiam, cæterosque affectus; Quare non erit abs re brevem hic de affectibus, quod fieri poterit tractationem instituere.

Sed, ut satis diversos modos afferendi Epilogum, adnotate, non semper per breviarium simul colligenda esse argumenta per Orationem dispersa, sed ut tantummodo id esse præstandum, cum potuisse excidere aliqua auditoribus sibi persuadere poterit Orator. Quod si brevis fuerit Oratio satis erit exortationem aliquam addere vel ad præstandum id, quod suademus vel fugiendum quod dissuademus, vel ad condemnandum reum vel ad eumdem absolvendum. Sed quia, ut dixi per affectuum motionem id habetur, constituitur.

Articulus Decimus Octavus
De Affectibus

Definitionem in primis affectuum, illorumque divisionem breviter afferemus deinde quonam pacto sint excitandi edocebimus.

Cicero vocat affectus per motiones, alij apellant motus, et passiones. Definitur itaque affectus sentientis animæ ex boni, vel mali opinione notæ commotiones: Fons ergo, et origo omnium affectuum est anima sentiens, neque enim ex intelligente, aut etiam vegetante dimanant, cum in ipsa hominis mente, et intelligentia nullæ sint affectiones. Alij motus sunt leniores, alij vehementiores

Divus Thomas prima 2.de quæst. 3.a affectus dividit secundum duplicem

plices sentientis animę facultates concupiscibiles et irascibilem in concupiscibili collocat Amorem, Odium, Desiderium, Fugam, Gaudium, & Dolorem, in irascibili Spem, Desperationem, Timorem, Audaciam, Iram. Stoici omnia referunt ad quatuor fontes Voluptatem, Dolorem, Spem et Timorem. Plato ad duo veluti elementa Voluptatem videlicet, et Dolorem. Aristoteles duodecim motuum genera recenset Iram, Mansuetudinem, Amorem, Timorem, Confidentiam, Verecundiam, et Inverecundiam, Gratiam, Commiserationem, Indignationem, Inuidiam, & Emulationem. Gallenus hos numerat Excandescentiam, Iram, Timorem, Merorem, Inuidiam, Cupiditatem, Amorem, et Odium.

Nos vero etsi probemus Aristotelis divisionem omniumque aliorum breuitatis gratia de quatuor precipuis tractationem instituimus nam ex illis facile erit ceteros dignoscere: Precipui quatuor sunt Amor, Odium, Spes, Desperatio: Videbimus ergo quenam sint causę Amoris, Odij, & aliorum et quomodo in animis auditorum conciten[tur].

Articulus Decimus Nonus

Definitio, et Causa Amoris

Aristoteles in Topicis dicit amorem nihil aliud esse quam propensionem appetitus in bonum siue illud sit uerum siue apparens. Sanctus Dionisius Lib. 4.º de Diuinis nominibus ait amorem esse vim quandam qua animus pulchro & bono adheręscit, quia pulchrum et bonum est. Theofrastus inquit amorem esse animi concupiscentiam quę celerem habet ingressum tardum vero regressum.

Porro diuiditur amor in Diuinum, Angelicum, Intellectualem, Animalem et Physicum

Diuinus hic est qui reperitur in Deo et est ipse Deus, quo nihil ad Maiestatem augustius, nihil ad sanctitatem purius, nihil ad constantiam firmius stabiliusque esse potest.

Amor Angelicus proprius ad Deum accedit, quanto Angeli copiosius ęterno glorię fulgore illuminati, Deum longe ardentius, & firmius,

quam nos

quæ nos diligunt, res deinde humanas Deo ita iubente summa charitate procurant in hominum salute promouenda alacres sunt, & constantes administri.
Amor Intellectualis est propensio nostræ mentis in uerum bonum cum ratione diligentis, qui semper esset in nostra mente tot tragediæ non excitarentur in Terris
Amor Animalis est quædam uehemens in sensu impulsio ad rem amatam, plerumque cæca, importuna, temeraria, animali et uoluctuario homini cum Brutis animantibus communis.
Phisicus tandem siue Naturalis est rerum quæ sensu, et intelligentia carent ad sui conservationem et perfectionem decursus. Et sic amore Phisico in concursus stat Mundus dum suprema suaui quadam delectatione ad unum descendunt, sic omne graue tendit deorsum, leue sursum ad totius conseruationem
Quindecim amoris causas ennumerat Aristoteles. Prima est benefica voluptas, amamus enim eos, quos nobis beneficia facturos putamus. Secunda res habere communes ac ijsdem in locis simul in societatem laboris, uel premij uenire. Tertia est uitæ instituta, amamus enim eos, qui non ex aliorum damnis uiuunt, sed honestis artibus. Quarta est bonum nomen, et integra fama, talibus enim uolunt amici fieri cum et ipsi improbi ament hoc specioso gloriosoque amicitiæ titulo rerum suarum infamiam tegere. Quinta eos amamus, qui neque sunt exprobatores beneficiorum, neque uitiorum censores qui aliorum crimina minime observant. Sexta studiose se gerere, amant enim omnes bene affectos, qui fauent, qui insigni beneuolentia cæteros prosequuntur. Verus conciliandæ beneuolentiæ nobis modus Sene-

ca sine medi-

ca sine medicamento, sine herba sine ullius venefficiæ carmine. Si uis amari ama. Septima similitudo, quippe gaudent similia similibus, et Simia Simiæ et ut ait Ouidius.

Scilicet ingenij aliqua est concordia iunctis
Et seruat studij fœdera quisque sui
Rusticus agricolam miles fera bella gerentem
Rectoremque dubiæ nauita puppis amat.

Octaua familiaritas. Nona nimia reuerentia. Decima emulatio, Vndecima procuratio bonorum. Duodecima beneuolentia fidelis. Decima tertia nulla fictio. Decima quarta nullus metus. Vltima fiducia. Quonam autem pacto ex istis causis debet excitari amor unicuique notum erit ex istis causis, quas tractabit

Articulus Vigesimus

De Odio

Ea quæ de amore dicta sunt uiam nobis complanant ad odij cognoscendum affectum; Nam sicuti amor est ad rem naturalis quædam propensio sic odium est auersio animæ ab eo, à quo esse malum sibi sentit. Differt quidem Odium ab ira, indignatione, furore, et similibus, licet non nulli odium cum ira confundant, nam Diuus Augustinus in lib. definitionum ait Odium esse ueterem iram ex pluribus causis collectam ex diuturno tempore perseuerantem; quæ definitio, uidetur similis esse definitioni Ciceronis, qui odium dixit esse iram inueteratam. Sed differunt inter se, ut recte obseruat Aristoteles in Rhetoricis primum, quia ira solet ebullire ex priuatis aut communibus, quæ ad nos aliquo modo spectant iniurijs. Odium uerò ex fontibus magis uniuersis ut ex probitate, licet ipsa minimè nos læserit deinde ira coniunctam habet aliquam molestiam, et dolorem Odium sine molestia et sine dolore est: Tertio ira studet inferre damnum et cruciatum si cui succenset odium tantummodo auersionem

sione: Ira mitigatur facilius, et malis illius, cui irascitur, satiatur, et statim defervescit: Odium difficilius sanatur, et nulla ferme magnitudine mali vincitur.

Quatuor sunt Odij genera Melancolicum, Ferinum, Humanum, et Naturale.

Melancolicum oriri solet ex atræ bilis redundantia quæ ita plerumque miseros agit, ut omnes honestas voluptates lucem homines se denique ipsius odio prosequantur. Hanc odij uesaniam morbum Bellerophonteum dicere antiqui, quod ea ipsa tristitiæ labe Bellerophon laborasse crederent, ut indicavit Rutillus Lupus

Hunc nimiæ bilis morbum assignavit Homerus

Bellerophonteis Sollicitudinibus.

Ferinum Odium est rabiosa quædam nocendi auiditas, quæ nullis explettur pœnis sed in ipsa mortuorum sequitur cadavera. Talle fuit Achillis in Hectorem odium

Humanum odium est quod humano more, et modo concipitur, et adhibitis etiam remedijs deponitur, et sanatur.

Naturale est ex quodam naturali antipatia proficiscens, qua fit, ut res aliquas etiam si nullum nobis intulerit damnum, acerrimo odio prosequamur.

Etiam si causæ odij possint facillime dignosci ex ijs, quæ diximus de causis amoris contrariorum enim eadem est ratio, et disciplina, ut docet Philosophus, et quæ amoris causis aduersantur. Hæc omnia ad excitandum odium haud mediocriter inseruiunt, nam ut odium Melancolicum, Ferinum, et Naturale omittamus, et Humanum, quod huius est instituti breviter attingamus, habet siue ueram, siue fictam rationem mali, in qua nascitur, et fundatur. Tria igitur ab Aristotele enumerantur, e quibus frequentius Odium solet oriri Ira, Detractio,

Incom=

Incommodum, quæ omnia si diligenter consideravitis odij motivum suppeditare dignoscetis. Nam si odium, inueterata est iracundia omnino succressit ex reliqua flamma irarum, et temporis diuturnitate ỽ pestiferum quoddam malum concrevit.

Calumnia porro, seu detractio una est maiorum odiorum fames et sentina, siquidem cum omnes bonoris amantissimi sint, haud æquo animo patiuntur se aduersis linguæ telis lacerari iuxta illud dictum: Calumnia ipsum conturbat Sapientem: Et profecto dici non potest quanta plerumque et quam tetra odiorum incendia unius susuronis lingua ualeat excitare.

Proprium deinde incommodum est odij fons eos enim acerbo prosequimur odio, qui uel nobis, uel nostris, uel toti Reip. incommodum student afferre.

Odiorum flammam excitare facile est, restringuere difficillimum, siquidem naturæ humanæ uitio omnes propensiores sunt ad odia quam ad amores. Excitatur autem odium si quid ostenditur factum ab Aduersario superbe, crudeliter confidenter, malitiose, flagitiose si á persona sordida, impura illiberali seua, arroganti, et id aut dolo, aut rapina, aut ui, aut ferro et similia.

Odij remissio licet sit difficillima non omnem tamen medicinam excludit in eo præsertim in quo emicet aliqua mentis celsitudo et generositas.

Primum igitur leniendi odij remedium, siue extinguendæ illius flammæ est misericordia, quæ solet in magnis calamitatibus, uel in animos ferreos sese immittere.

Secundo minuitur odium demonstrando falsa ea fuisse, quibus aliquis odij flammas excitavit u. g. dicendo falso nobis ea relata fuisse, nec ullam odij causam habere.

Remittitur etiam odium sublatis causis, quibus fuit concitatum: Sed nullum potentius remedium, quam rerum terrenarum contemptus, Christianorum

decor

decor, et mansuetudo uirtutum, Christiq. Domini Heroica quedam imitatio.

Sub Odio iram iam abinitio posuimus, que quidem à Platone apellatur ingens, et uehemens affectus, qui nisi rationis frenis constringatur multas solet excitare tragedias: Tunc laudabilis erit ira si à uirtutis amore proficiscatur, et improborum uitia potius, quam in ipsos homines incandescat.

Ira quidem, ut ait Philosophus quidam Antiquus est breuis insania, stulti enim ad instar in cedes, uulnera, rapinas, incendia, fertur quisquis hoc corripitur furore; Omnia spernit, omnia sustinet, et in ipsos enses preceps ruit, Ira enim iuxta Augustinum Epis. centesima decima quinta est turbulentus appetitus auferendi ea que facilitatem actionis impediunt, itaq. plerumq. non hominibus tantum, sed calamo irascimur in scribendo, eumq. colligimus, et frangimus; Hec et alio loco citato.

Deffinitur ab Aristotele 2.° Rhetoricorum appetitio cum dolore coniuncta eius, que sperari potest ultionis propter apertum haud certe existimatum nostri, nostrorumq. contemptum.

Primum appetitio est, atq; ea uehemens, et concitata, deinde cum dolore. Grauiter enim intimis precordijs affliguntur irati, quem dolorem satis indicat uultus teter, nunc subito retrorsum sanguine fugato expallescens nunc oculis tumescentibus, nunc trepidis, nunc in uno obtutu defixis.

Accenditur, & extinguitur hec ira per causas easdem, per quas concitatur et remittitur Odium, ut consideranti patebit

Articulus Vigesimus Primus

De Spe, et Desperatione

Spes res futuras attendit, et circa bonum futurum uersatur, Letitia uero est motus animi ex iudicio boni presentis, nihil autem attinet an ipsum sit uerum an opinione tale. Sed loquamur de Spe cuius suauitate miseri deliniti recreantur, languentes excitantur, incalescunt frigidi, et mortui pene reuiuiscunt.

reuiuiscunt. Frequentiss.us est apud Oratores hic motus, dum hortari, consolari, implere animos student, et eos facilius quidem prestant, quam cetera, nam iucundiss.ma est Spei persuasio, et nihil ferre adeo leue est ad quod credula ingenia non adducant.

Aduertite tamen hunc esse maximum illorum errorem, qui ad spei motus concitandos, iis utunt. rebus, quibus amor excitatur, quod enim res sit preclara, spectabilis, fructuosa, nihil ad sperandum facit, etsi magnas ingerat amoris faces. Quod igit. ad spem excitandam maxime inseruit est. Primo rem fieri posse, aliqdo factum esse quid simile in pari causa, credibile esse futurum hoc tempore, hoc loco, hoc negotio V. G. felicis belli spem excitabimus, si ostendemus pecuniam esse collectam militum animos ad bellum esse paratos, machinas esse confectas, commeatus non desiderari. Ad Magistratum & dignitatem obtinendam spem dabunt fauor et beneuolentia Ciuium, gratiosiores Amici bene nummatum Marsupium, et contra id genus.

Ad Desperationem uero istis ennumeratis ~~facillime cetera dignosci poterit~~ contraria animum inducent, nam & ipsa Desperatio est motus animi circa res futuras. Hec breuiter attigisse de affectibus satis sit. Ingeniosus autem Orator ex istis paucis ennumeratis facillime cetera dignoscere poterit, si prius diligenter attendet quam uelit affectum commouere in Auditorum animis et si causas considerabit quarum auxilio talis affectus excitetur. Et hic libri Secundi de Dispositione sit Finis.

Digitus Tertius
hoc est
De Eloqutione
Liber Tertius

Do manus dexteræ Patris litterar. omnium genere ornatiss.mi Marini de Gratijs: Do manus uobis lectiss.mi atque studiosi Adolescentes, sed dexteras in qua (ut in Antiquor. Adagijs legimus) non Vnitates & Decades, sed centenarij et Millenarij numeri continebant; Idcirco de Nestore suo Satiricus . . dextra iam computat annos. Manum ille eruditiss.mus Vir à litteraria tabula admouit, cum suam eloquentiæ manum duobus tantum digitis efformasset: Sed non idcirco putandum, ut ipsi dixerim cum Iuuenali . . digito compesce labellum quinimo credendum, quod tanti Viri supremo Theologicar. Disputationum Apici destinati singularis eloquentia me immerito exoptet, et ut Tibulli uerbis utar . uocet ad digiti me tacitura sonum. At nequeo uerbis exprimere quam singulari animi dolore hanc occupem Sedem secundum eum, cui digitum deberem attolere, in rebus omnibus scilicet palmam cedere: At meam ipse Vir ignauiam satis arguit, cum eloquentiæ suæ tertium Digitum tenui deligentiæ meæ inchoandum, absoluendumq. reliquerit. Medio enim digito ueteribus in more positum erat, ut Stulti tantum monstrarentur apud ceteros uirtute præstantes; Sed Pater de Gratijs rebus, et nomine sane gratiosus omnibus, talem sese semper exhibuit ut prudentiss.us haberi meruerit, ac iure uoluerit prædicari. Viderat, quam doctrinæ materiam mihi relinqueret tradendam uobis, illam scilicet qua insipientes ipsi facile sapere uiderentur. unde ipsius præcedens Digitus Index, uel famæ meæ salutaris est, cum illius ingenium haud dubie solemus commendare, cuius uerba, & uoces ad elegantiam compositas uidimus. Agedum, Quid magis optandum mihi, cum Pater de Dispositione finem ad Medium Di-

gitur terminauerit et hunc mihi ab Eloquutionis preceptis reliquerit inenodandum? Scilicet quis me stultitiæ arguet, cum certam Eloquutionis methodum tradentem audierit? Ne autem ipsa manu prolixior sit digitus enodetur.

ARTICULUS PRIMUS

De Eloquutione in communi

Cum digitus medius ceteris prolixior sit, et extentus magis, non mirum si rerum copiam maximam ingenijs uestris accommodatam in medium proferat. Et primo licet Eloquutionem non nulli ut naturæ ordinem sequantur in tertium hunc Rhetoricorum locum conferant hanc tamen unam esse è precipuis eloquentiæ partibus quis ignoret? Non ne ab hac potius, quam à ceteris eloquentia nominatur? Sane id constat apud Tull. de Orat. et Fab. lib. 8.° in Proem.: Facile enim Artifices alij sese Inuentione, Dispositione, Memoriæ presidio ac pronuntiationis forma eruditos, neq. minime destitutos ostendunt. Eloquutio igitur, quæ tam apud Grecorum, quam Romanorum gentes nomen traxit ab eloquendo, ea est, qua ceteri animi nostri sensus, quos mente concepimus faciles se eleganter expositos intelligunt. Quamobrem hæc est, quæ usu, ac arte acquiritur, qua triumphamus, qua uictores euadimus, qua ceteris prestantiores habemur et dicimur, et sine qua uacua, ac inania priora essent, et ut uagina in gladio recondita, ac deniq., et premere, et laxas nouit dare doctus habenas.

Et uero, quod hæc pars sit omnium difficillima (non quo ad precepta, tunc enim faciliorem ceteris crederem) suadetur ex eo, quod apud Alicarnassense legimus de Isocrate, cuius in ore mel Eloquentiæ extitisse dicitur, qui decem annorum spatium in unius Panegyrici absolutione impenderit, et Plato usq. ad Octogesimum uitæ annum Dialogos suos pectere, et calamistrare, non desie-

non desierit. Verum, ut aliquo modo liceat hanc non sine commendatione comparare, uidenda ea, quæ nullo ordine, nulla dignitate, nullo posita studio coinquinant deturpant, comaculant eloquutionem. e contra verò ea diligenter consideranda, quæ recte posita, diligenter elimata, apposita studiosè cohonestant, ornant, ac ditem faciunt, venerandamq. eloquentiam. Sed ne longius aberremus verbis accedat

~ ARTICULUS SECUNDUS ~

De uirtutibus elocutionis.

Cum euitare vitia uirtus sit, hic præsenti loco de ijs uerbis uidebimus quæ cum latinitati primo eloquutionis ornam:^to obuersentur sedula diligentia cauenda sunt. Latinitas enim sermonem purum considerat; Vnde ueræ latinitatis decus neq. facile consecuti sunt ipsi summi uiri, quos tanquam eloquentiæ numina ueneramur: Cui enim non plane constat Liuium Patauinitatem, quamdam affectasse, Catonem Transgressum dixisse pro Transfectatione? et Augustum simus pro sumus! Ipsummet Ciceronem Peniteat quod habetur in illis verbis, quibus M. Cælium defendit sic. Id nunquam ferret tam acerbè M. Cælius, vt eum peniteat non deformem esse natum, propriè enim penitere inquit Asinius Gallus non dicimus de ijs rebus, quæ nostra causa non euenere ut celeros breuitatis ergo silentio præteream. Sub primis Regibus, ac Consulibus ortum habuit latinitas, sed adeò nuda, ac vi destituta, ut balbutire uideretur, et ut illorum temporum inelegantis exemplum elegantiæ habeatis, Gellij uerba adducam qui hæc refert: Ni iudicatum faxit, nemut quips endo in iure vindex esit. In ius dicito. Qui em uinctum habebit, libras faris eudodie dato. Non ne hæc risum excitant! hæc autem rudis latinitas ter centum annorum spatio uiguit, scilicet quousq. Gallorum furor Romanorum gloriæ obstitit, si Liuio credimus, qui ut animi sui gaudium

uellet

uellet significare cum de latinitate enunciandum est per hęc uerba lib. 6. initium dedit ueluti festinus, & alacris: Cariora deinceps, certioraq. renatę Vrbis gesta Domi, forisq. expositurus. Sic adoleuit latinitas annor. ducentor. cursu, quam coluerunt meliori studio, si non elegantia Andronicus, Ennius, Plautus, cuius dicendi formulę quędam uitandę, quis uere latinum sermonem ducet hęc carmina, quę non pigeat adducere

Si dixero mendacion solens meo fecero

Nam pugnabant illi maxume, ego quon fugebam maxumè.

Quid hic homoincipissit facere cum tantis minis?

Perinde, ut Heri sit uolion, è uultu compares:

Tristus si sint Heri tristes, hilarus sit, si gaudeant.

At Gręcor. temporib. usq. ad illa Tiberij uera latinitas floruit, quam non modo Poetis Virg. Ouid. &c., uerum in Oratorib. Hortensio, Cicerone licet admirari, ac quod uix paucis datur imitari: Cęsarem pręcipuè amplectamini, cuius monum.ta nullus hactenus errore multauit, uel prestantis calami, uel crudi gladij cuspidem fortasse pertimescent, at quam citò uirtus contrahitur! ueluti horrens Tyrannidem ut Barbaror. crudelitatem effugeret, non sine singulari litterar. iactura fugit, ac perijt atq. furialib. Gothor., Vandalor., Longobardorumq. militaris incendij, facibus Imperij Maiestatem deuastantibus uim suam caloremq., eloquentię grauitas, ac latinitatis puritas deperdidit, ac pene in tali communi incendio uigor omnis absolutus est, ex cuius tamen cinerib. noua quędam Italalatinitas potius exorta est, neq. enim bene Italus, nec bene latinus sermo uideri poterat; Et ut habeatis, quo paululum a seuerioris studior. disciplina relaxetur animus adite exemplum unius Thesaurum comitem, atq. Equitem, cuius initium est: Volendo io Polliphilo terito, & afflicto le optate aque sopra le uerdose riue exaurire &c.

Ad hęc ne pude Censor Cato risum teneret; Sane miserandam naturam agnoscimus

cimus. Quid quid enim sequentibus seculis Latinitatis comparatum est, ne quidem puriorem illam, ac sordidam adumbrat: Haud facile est Latinitatem, uel nimio studio assequi, ne nimis affecta uideas, uel exigua diligentia ne sordida nimis appareat attamen quidquid elaborarunt ceteri doctrina illustres, videndum, & nobis an solerti cura, aut in hac Latinitate moliri possimus per ea præcepta, quæ nobis difficillimam hanc uiam commonstrant, cauendo scilicet uerba primo sordida, quibus complectimur uoces plebeas, ac uulgares nimis nec non poeticas, ac affectatas, non enim sunt puritati sermonis accommodatæ; Cui enim acceptum esset Varonis uerbum Sculna damnatum à Publ. Lauinio pro Sequestre ut habetur apud Gell. cap. ult.mo lib. ult.mo Notic. Attic. & apud Senec. Pausarium legimus quod Eras. Lib. de op. Ver. reicit ac condemnat.

Verba Poetica sunt, quæ Orator precauere summo studio debet, ut Cererem, Crustum Virgilij, Squamigeros Lucretij, Herbas Libericas, &c. quis adhiberet in Oratione? De Platone ipso Tullius in Oratore: Itaq. uideo uisum esse non nullis Platonis, ac Democriti Eloquutionem & si absit à uersu, tamen quod incitatius feratur et clarissimis uerborum luminibus utatur, potius Poema putandum, &c.

De obsoletis autem quid referam? Illa uerba obsoleta sunt, quæ nitorem omnem ad elegantiam amiserunt, quare ab Iudice risu acceptus quidam fuit Causidicus qui Rom. quemdam Equitem defendebat, dixit autem me miserum, Eques Romanus Apludam edit ac Flocces bibit; Credidit enim Iudex, atq. Adstantibus dixit, an ille Gallice loqueretur? Quare apud Tacitum, qui primas Iulij Orationes nimia seueritate damnabat, ut qui Ennianam loquutionem redoleret. Sequuntur hæc uerba: Procul arceanq. oblitterata, & olentia nullum sit uerbum uelut rubigine infectum. Hæc autem dicta esse credatis uelim pro ijs, qui serio eloqui tenent, aliquando enim ad uoluptatem componimus, ac tunc priscam licet stili rationem imitari, quo lectores ingenij

fruan-

fruantur lusu. Quod obseruatum uidemus ab Emanuele Thesauro ui, ut ad otium calamum per quosdam salientis aquę gurgites relaxaret hac Epigrafe quesq. Ninfarum auras inuitarit, quam & uos ad uoluptatem poteritis legere cuius initium sic.

Ceiuis, Moiniceps, Meilles
Acola, Incola, Concola
Queis, queis sies Ameicus homon
Resticato, ac legito, &c.

Poetę quinimò consueuerunt has uoces adhibere, ut Prisci sermonis grauitatem recenserent apud Ouid. enim Decimo quarto Metamor. fab. quin.ta

. . . . mortemq. timens, cupidusq. moriri.

Apud Alium

. . . . liquidoq. potestur electro.

Sic Aulai, Pictai. Et Tacitus quid plura huiusmodi congerit, sed in persona Tiberij, qui antiquitatis noluit uideri obliuiosus. Aduertite autem, quod hę uoces exculcatę manu, non sacco sunt serendę. In hac re igitur Doctiss.mo Quintil. Lib. 9.° cap. 6. fidem prestemus, qui sic: Verba à uetustate repetita non solum magnos Assertores habent, sed etiam afferunt orationi Maiestatem aliquam non sine delectatione: Nam & authoritatem antiquitatis habent et quia pretermissa sunt gratiam nouitati similem parant. Sed opus modo, ut neq. crebra sint hęc, neq. manifesta, quia nihil est odiosius affectione. Nec utiq. ab ultimis, et iam oblitteratis repetita temporibus, qualia sunt Topper, et Exantlare, & Prosapia et saliorum carmina uix sacerdotibus suis satis intellecta.

Videndum de uerbis nouatis, uel nouis, et sicuti eadem est contrariorum ratio, si antiquata, uel obsoleta Orationi aduersant, noua pariter latinitatem clariorem, uel puriorem non reddent. Hoc uidit Quintil.us Lib. 9.° cap. 6: Ut nouorum inquit optima erunt maximè uetera ita ueterum maximè noua, quare Var. Lib. 2.° ad Marcell. ut

est apud Gell.

~~et~~ apud Gell: Lib. XII. cap. X. Æditomus dici oportare censet magis, quam Æditorum, quod alterum sit recenti novitate fictum, alterum antiqua Origine incorruptum. Cic. cum voluit novum verbum aliquod adhibere, consueuit se prius remedio communire; Nam S. Epist. ad Brut. Eum inquit amorem, et eum, ut hoc verbo utar, fauorem in consilium aduocabo, et alibi: Sic obsequium primum usurpauit Terentius, Varro, Musinarij dixit à Musis, à quo verbo non abstinuit sese Plinius Præfat. Nat. Hist., at uidendus de hac re Vbertus Folietta Lib. 2.º de usu et præstantia sermonis Latini, qui varia Cic. Loca conotat, ut cum Tuscul. quarto dixit Mulierositatem, Lib. 9.º ad Attic. Epist. X. silaturire, et proscripturire. Adite disertiss.um Moret. Lib. decimo quinto variar. Lect. cap. 20.; Victorium item Lib. secundo, variar. Lect. cap. 24. Nec iniucundum Poetæ cuiusdam Monosticon relatum à Cicerone secundo de Diuinat. de Coclea, quam uocat

Terrigenam, herbigradam, domiportam sanguine cassam.

et apud Ausonium Ep. 38 sic de Fœmina

Fœmina, quæ iungat, quod uolo nolo uocat.

Et apud Tertullianum ex Scriptore nunc ignoto Hercules uocatur Sytalosagittipellifer, cum sytalem, seu clauem, sagittas, & pellem ferret. Ediscite quomodo ex templo liceat aliqd.º inter contubernales nomen aliquod ingenij præstantis argum.to effingere. Hoc præstitit Philippus Beroaldus, qui interrogatus Bononiæ à Polonis quibusdam quo uocabulo diceretur edulij genus aliquod, statim responsum dedit pro Herbicasiouium uocari, quæ scilicet ex herbis, caseo, atq. ouis constaret. Vt antiqui Suouitaurilia dicebant sacrificij quoddam genus, quod Sue, Oue, Tauro factum esset, atq. in ueteribus inscriptionibus legimus de Iulia quadam Tesina sibi ossuarium fecisse, ubi scilicet ossa reponeret sua, sic Mortuarium ex uoce mors, tis, abstinendum tamen in seuerioribus Orationibus, et

si necesse

si necesse esset aliquod effingere nomen premittans uoces scilicet, ut ita dicam, ut, &c. dicam enim de nostris temporibus, quod de suis habuit Senec. Epist. 59. Quanta uerborum nobis Paupertas, imo egestas sit, nunquam magis, quam hodierna die intellexi, quare liceat cum Horat: dicere Epist. ad Pisones

. . . . Licuit, semperque licebit
Signatum presente nota producere nomen.

Neque abs re facturum credo, si ad iuuandam hanc uobis Latinitatem cursim pauca adnotabo, et quodamodo ad incudem reuocabo, quod credidissem fusius adnotasse ueteres, ac singulare Preceptores cap. q. ubi de instrumentis, &c. quod tamen pretermisisse credendum est uel breuitatis gratia, icem si presentem locum transferret. Lectio igitur Authorum probatissimorum ualde commendans atque imitatio ad Latinitatem; Verum cum imitatio à Lectione pendeat, hinc fit quod de illa breuiter: Imitatio igitur est qua ea, que probata sunt diligentissime prosequimur, & uidendus Cic. 2.° de Orat.: Preterea imitatio Inuentionem, Dispositionem Elocutionemque debet considerare; Vnde diligenter obseruandi quidnam ad imitandum assumantur. Rhetores enim ignaui parum in imitatione, et iudicio proficiunt, et cum ipsi sint locorum entymematum, et figurarum imperiti, euenit locutiones tantum ac uersa inaniter congerant. Sane Virg. optimum sese exhibuit Homeri imitatorem, qui toties illum antecellit, & superat: Cicero itidem qui uix dici potest quantum ceperit ex Isocrate, Plat. & Demost: Non adherendum igitur radicitus, et inconsulto ad uerba, sed imitanda uis recondita sapientie, cogitationum celsitudo, tractatio humani animi, disponendi prudentia, colligendi acumen, pungendi alacritas: Atque hi habendi sunt optimi imitatores, qui non ut Simie, sed ut filij non tantum quidquid Paternarum uirtutum est, obseruantes, sed de suo aliquid producentes: Illud precetevis admoneo, ne uarios cibos capiatis, eos maximè, quibus stomachi debilitas officit; Permulti enim sunt, qui

uaria atq. nunquam constanti allecti Auctorum consuetudine nesciunt, quid distent æra Lupinis. Aut quantum testudine Inulus Leo, felem Minerua Simiam Hercules, Discipulus Preceptor antecellat. Hinc est, quod segnius pro Auro, stercora colligunt non nulli uanarum litterarum amatores, ac cartas omni nequitia infames complectuntur, in sinu fouent quæ tamen, quid sunt nisi incitamenta libidinum, illecebræ corruptelarum ad uoluptatem, ad audaciam ad turpitudinem, ad uitia, ac flagitia omnia certe Magistræ! Proh dedecus, qui castissimarum Musarum sacris sunt destinati hi profanæ eruditionis maculæ sese coinquinabunt mancipati sunt purissimarum artium disciplinis, et hi corruptissimos illecebrarum Scriptores, ac Magistros sequuntur! Profero uobis, ut mei muneris, Auctores, quos amare, diligere, charos habere in oculis semper ferre debetis studiosi, ac uitiorum culpa uacui Adolescentes. Verum sciatis primo uelim, ipsa sanctissimæ eruditionis antiquaria Numina fuisse pene omnia censura mulctati, sed non ipsis Auctoribus, sed suæ famæ conuitiatores isti ac nomine affecerunt. Quis enim Platonem confusum arguet. Aristotelem segnem iure appellabit, Homerum incomptum, atque ineptum, Virgilium tacitum furem, Ciceronem redundantem profusa dicendi ubertate lasciuientem in compositione fractum ut cuiusdam noui scriptoris uerbis utar Elumbem, Eneruum, nulla rerum, & rationum stabilitate suffultum dicet! Varronem, quod uix dicere audeo, Porcum Salustium historicum uita pariter scriptis Monstruosum, de quo tamen uno, quod spectat ad uitam non ausim negare, Senecæ Scripta ut pote arenæ similia sine calce, disiuncta, dissoluta, Cesarem & Ouidium humiles nimis, nimis Terentium affectatum Plautum, et Catonem obscuros Persium Morosum, Catullum uulgarem Horatium duriorem, Titum Liuium uerbosum, et in historia, ut pote negligentem, amouendum à Bibliotecis curauit Caligola.

Nos uero ex his ~~[illegible]~~, quos solidæ eruditionis, latinitatis, atque sermonis

sermonis authores prędicamus, seligere debemus, quę magis ad stylum nostrum accommoda uidebuntur: ut Zeusis, qui cum Agrigentinis tabellas teneret efformare in templo Junonis Lacinię dicandas, hęc spectabilioribus Ciuitatis Virginibus, si Plinio non est fides deneganda Lib. 35. cap. 9. pulchritudinis formas uarias sibi proposuit imitandas, et ut puellę, quę sibi corollas adstruunt ex uariis florum generibus. Sic ex maximo scriptorum numero, ac discrimine ueram, solidamq. nostrę Latinitatis imaginem efformare debemus. Atq., ne inaniter eamus per singula nobis scriptor. omnium tam Veterum, quam Recentium Antesignanus, ac Coripheus occurrit verę Princeps eloquentię Tullius. In eo enim, ubi desiderabis sermonis ubertas? ubi orationis fluuius? continuata memororum serie et contextus; si comitatem ac exigis quis melior Plauto si puritatem quis Cęsare Terentioq.? si granditatem quis Liuio, & Virgilio, si facilitatem quis Ouidio et Cicerone in Epist. Salustio Seneca Plinio? si eruditam Latinitatem quis Varrone? Si decoram uenustatem quis Columella? si historicam facilitatem quis Quinto Curtio Justino aptior meliorq. poterit inueniri? Dummodo his utamini ad uestram eruditionem cuius rei adnotasse fateor satis sit. Verum horum aliqui uobiscum sint et noctes et die uobiscum ambulent uobiscum peregrinentur, uobiscum rusticentur uobiscum ludant adeo, ut de uobis liceat prędicari, quod nobis historię referunt de Alexandro, de Cassandro Macedonię Rege, de Tiberio Cęsare, ut est apud Sabellicum Lib. 2.º cap. 7.º, qui in maximis licet bellor. legationibus strepitu armorumq. flagore Homerum nunquam demittebant. Pene ad miraculum quod Valerius Lib. 8.º cap. 7.º nos de Platone certos facit, quod supremo dierum, ac uitę circulo constitutus sub cap. Sophronis

nis numeros habuisse fert. Quid referam cum Parnomitano lib. p.o de Alphonso Aragoniæ Rege, qui Iulium Cæsarem de militiæ disciplina consulebat, uel prædicatæ de Catone Uticensi, sistandum Val. Lib. 8.o cap.o 7.o qui in curia dum Senatum cogerent græcos libros lectitabat. Tacebo de Theodosio, qui noctis tempore sacros Codices euoluebat: sic de Alfredo Anglorum Rege, qui nunquam Psalmorum librum demittebat.

Prosunt ualde Doctorum uoces ad docendum at magis scriptorum lectio ad eruditionem. Cui constat de Pherecyde, de quo Suidas illud nobis refert illum nullo usum Præceptore, lectis Phænicum litteris in tantum profecisse ut illius institutione Phitagoras magnam sapientiæ suæ partem deberet. De Heraclito Ephesio scribit Volater. Lib. XV. Actio nunquam studium legendi intermisisse, quare meruit inter celeberrimos Philosophos cooptari. Debemus hoc Giral. Dial. 7.o histor. Poetiæ. qui tradit id Æschinis mirandum Præceptore nullo alijs præcipisse et Demostenis insectatorem fuisse acerrimum, deniq. maximam in Oratoribus Græcis famam atque illustre nomen obtinuisse, ut ceteros prætercam, qui assidua legendi consuetudine, auctorumq. dulcedine allecti sine uiris uiri euasere.

De perspicuitate uerò quid uerbis referam, quam adeò necesse esse fatentur omnes, ut per hanc Orator ostendat se uere esse Oratorem. Et sanè nescio quonam pacto quis possit nomen suum ab tenebris uindicare cum claritatem non prosequatur, de quibusdam euenit, quod de lanis uidemus eas nigras nullum colorem bibere. Propriè igitur perspicuitas est, quæ proprietatem habet in uerbis sed quia inquit Fab. Lib. 8.o cap. 2.o obscæna uitabimus et sordida, & humilia. Ideo translationem esse amandam à nobis singulare Orationis ornamentum, sed maximopere adhibendam,

cum opus est. Pro-

cum opus est. Proprietas enim non ad nomen, sed ad vim significandi refertur, ut ait Quintilianus lib. cit.: Quare inquit plus obscuritatis est in contextu et continuatione sermonis, ubi videmus in quibusdam tantam verborum seriem, ac quodamodo glomeratis nexibus Orationis, ut nescias nisi difficile te met expediri atque auditores ipsi non intelligunt, quodnam principium ineas, quodnam medium prosequaris, quem finem intendas: aliquando autem quis est adeo brevis, ut de se met possit illud Horatij predicare

. . . . . cum brevis esse laboro

Obscurus fio. . . . .

Tanta enim est rerum enumeratio quas brevi periodo vult complecti ut necessario ademat. In quibusdam tamen est miseranda Adolescentibus obscuritas, qui tales interdum sortiunt Preceptores, ut ipsis mandent hanc scribendi inelegantiam fortasse credentes maiori obsequio fore acceptos, ut Oracula, que nisi obscurioribus verbis responsa dabant, Livius ipse refert Preceptorem quemdam fuisse, qui discipulos suos iuberet, ut obscurarent que dicerent: Munus hoc Pictorum est, qui umbras adhibent, ut picture lucem commendent. Sit igitur talis Oratio, ut ipsi nihil desit, neque superfluat; Ita sermo, et doctis probabilis, et planus imperitis erit inquit Fabius.

Sed quia placuit aliquando eruditis viris ad lusi gratiam obscuritatem effingere, ideo non mirum, si placet hic non nulla brevi styllo edisere de ijs, que licet obscura videant, tamen gloriam pariunt. Primum igitur venit de Equivoco dicendum, de quo sic Arist. 2.o Rhetoricorum cap. 25, alter locus est pene Equivocationem, que mirum quam fuerit accepta, dumodo apta sit, et multum retineat venustatis, ingenij excellentiam et promptitudinem ostendit, Auditores, vel Lectores recreat, et reficit, et sepius Oratorem ipsum deferdit

dit, veluti aculeis, vel aliqd° torquetur i adversarios, ut videmus in Cicerone, qui contra Verrem dixit: Mirandum non est ius eam nequam esse Verrinum, cum tamen & animal quoddam parvulum sit Verris nomine. Quemadmodum de quodam Marco Oleario, qui ex oleo tantum fortunarum acquisivit, ut ad precipuas Romanæ Civitatis dignitates pervenerat, istius nobilitas clara est instar lampadas. Et de quodam, qui interrogatus quam ipse artem profiteretur respondit se Regum tonsorem esse. Nam aureos nummos tondebat, et cuidam querenti nostra tempestate i Mundo rectitudinem non reperiri Geometram dixit Orbem esse rectum possibile non est. At sane situ dignum quod de Abate quodam Gallo evenit, cui impositum fuit, ut Abatia alteri cederet hisce verbis gallicis A-BE CEDE Abas se se excusavit dicens se triginta annos insumpsisse in discendo has duas litteras AB, et totidem se fore insumpturum i discendo sequentes ~~sequentes~~ CD. Laudabilis item obscuritas verborum, quæ quibusdam in medio collocatis in quacunque dictione argutum aliquid reddunt: ut v. g. illud carmen, cuius in media quacunque dictione ~~argutum aliquid reddunt~~ intelligitur super, sic

Ô cur tua te

Be! bis, bia, bit

Et illud in cuius medio sub, adeo, ut inverso ordine legas sic

Limis, latus, es, ito, jciet

Ô qui nulli mors te

Hinc oriuntur divisiones quedam ad acuitatem adinventæ, ut fuit illa memorabilis Statuarij cuiusdam, qui cum nonnullius parum mente sani statuam sculpere deberet, hoc lemate apposito, In memoria Æterna erit, divisit lyme ab moria, quod nomen stultitiam significat. Et super Didij

Orcelli

Orcelli. Tarraconensis sepulchrum hoc Epitafium, ut intelligerent Lectores: Hic situs est Didius Orcellus nobili familia natus, qui Ciuili Bello laudem in Arce, et Castris meritus obijt Anno Ætatis LV: Hęc inijcita tantum uerba cum apposuissent

Hic Sit: est
Did: Orcell:
Nob: Fam: Nat:
Qui Ciuil: Bell:
Laud: In Arc:, et Castr. Mer.
Obijt An: Aet: LV.

Quidam inuidus suposuit, & addidit his Caraccheribus has litteras

Hicpravasitlst
sor Did: ꝑ Orcell:
ig Nob. in Fam: dam Nat:
Qui in Ciuil: Bell: ua
c Laud: In c Arc: & Castr: avi Mer:
mal: Obijt An: imal ꝑ Aet: LV. t

At hęc non habueras in animo singula prosequi, cum huius generis obscuras dictiones infinitas propemodum licebit in libris obseruari animi rellaxandi gratia. Illud admonendum uenit, ut maxima utamini cura, et sollecitudine in selectione uerbor: propriorum ex quibus perspicuitas difluit, quare non abs re factum credo, si breuem comonstrauero uiam, quomodo id facile posit obtineri.

Sciatis uelim ad hoc necesariam ese exercitationem; Hęc enim frequenti consuetudine uoces proprias selectas, usu receptas, et aductas in classes suppetit ex aliorum Scriptor: obseruatione. Hac potuit Tullius adeo proficere, ut August: in Epist. ad Marcum deo dixerit hęc uerba Tullius nullum se unquam uerbum dixisse referat, quod reuocare cupiat. Et uero, ut Aurifex optimus esset, aurum à sordibus ex

pur-

purgabat, ut Solers Agricola infelix Lolium, et steriles Auenas à fructibus generosis destinguebat, quod de Virgil: prędicatur, qui inuentus in lectione Ennij Poetę dixit interrogatus se ex stercoribus gemmas colligere. Adducam factum quoddam de Furio Cresino relatum à Plinio Iuniori Lib. XV. cap. 6.: Hic Rusticus erat, sed qui sua cura, sua industria maximam frugum copiam sibi pararet in annum ex paruo Agello, quantam nullus uicinior ex amplissimis Prędijs. Quadam die in Iudicium ipsum uocarunt Iudices tanquam de pellictis ueneficio alieni Fundi frugibus increpantes, quibus ille adductis instrumentis omnibus rusticis, ferramentis egregiè factis, grauibus ligonibus, uomeribus ponderosis, bobus saturis, ueneficia hęc mea sunt Quirites, nec possum uobis ostendere, aut in Forum adducere locubrationes meas, uigiliasque, & sudores; Quibus uerbis sanè uerum dixi opera potius, & exercitatione, quam impensa, Solique fertilitate agricolturam constare. Hęc sunt, quę in Eloquutionis Campo debent impensius coli, usu enim, et opera uere, purgateque latinitatis, ac perspicuitatis decus acquirimus, quod ex probatissimis, ut antea innuimus, Scriptoribus eruendum est. Quę cum sedula obseruatione, curaque acquisiueris, ueniet Ornatus maxima Orationis pars, et sine qua Oratorem, ut potè ineptum, ac incultum contemnunt Auditores. Quid enim prodest gemmarum copiam gestare, sed ordine promiscuo? Iuuat igitur uerba seligere consonantiora, grandiora, honestiora, sublimiora, nitidiora, &c. Sicutienim totum latinitatis pretium in uerbis est proprijs, sic Ornatus splendor in translatis, sed apposite adductis. Et certo cui melius non esset audire Quamquam, Moderatio, Concertare, pro Etsi, Modestia, Confligere, Optimus, Officiosissimus, &c. pro Maius, Necare, Bonus, Officiosus &c.? Tu dic de ceteris. Unde uidemus talem uerborum selectum habendum esse, ut per uerba res, quas intendimus explicare, facilè

expli-

explicent, et patescunt, scilicet natura, et dignitate coherveant. Si enim hoc prestant Poete, qui vocibus sunt astricti, id Oratores pres tare nequibunt, rebus scilicet atrocibus, ut verba atrocia pariter respondeant? Hinc videbitis perperam quosdam adiudicare Poetas tantum, non Oratores furorem convenire: Quis enim huiusmodi vocibus aures libenter non prestat? Ex Fab. lib. 8. cap. 3. qui libenter audiunt, et magis attendunt, et facilius credunt, plerunque ipsa delectatione capiuntur, non nunquam admiratione capiuntur, et prosequitur elegantissimo à simili, ut videre est apud ipsum. Unde Cicero in Epist. ad Brut. eloquentiam, que ornatum non habebat nullam adiudicabat. Maximè hic Ornatus necesse, quo acquisito, licet omnia non sint exquisita Oratione elaborata, talia tamen creduntur, cum vitijs nihil sit vicinius virtutibus, unde qui vitijs utitur Eruditi tamen aliquando nomen retinet.

Ad absolute eloqutionis formam constituendam requiritur necessariè decor, sine quo squatet, et non parum sui iuris deperdet Oratio. Decor enim tam Iuvenes, quam Senes decet. Si Oratio à Iuvene pertractabitur eam laudabo accuratam, Ornamentis illustrem compositione concinnam, et suavem, erectam, interdum deliciosam, nonnullam ludibundam, lascivientem, audacem, quam facerent pueri, sed pedetentim ingredientem; Hec verò placeret magis, si supra etatis vires, non ingenij magni ponderis esset, profunde intelligentie, argumentis solidis pertexta, si parum esset translationibus referta, neu novis, vel obsoletis verbis abundans. Senibus vero iurè convenit decor ipsus, mitis, et sanctus, accuratus, candidus ab affectionibus, et puerilibus motionibus alienus, ad extremum Oratio gravitatem habeat, et augustum quemdam decorem. Decor itidem quibusdam in locis precipuè observandus, sed videndum locus nè sit sacer, vel profanus, publicus, vel privatus, &c. Prothe-

tus

us erit est in Elocutione Orator.

Articulus Tertius
De Figuris, & Schematibus

Primo igitur de Tropis agemus in communi, uidendo quid sint, & quodnam discrimen inter ipsos & Schemata; Quibus breuiter adnotatis, peculiariter ad ipsum ordinem, & numerum Troporum accedemus.

Qui recte Translatorum naturam considerarunt, prudenter, et consulto definiere: Tropum esse dictionis, uel Orationis à propria significatione in aliam cum uirtute Mutationem. Unde facile est assignare huius definitionis exemplum cum dicimus Apostolos translate Hominum Piscatores. Unde alijs placuit scribere, ut pote uoce Greca est mutatio significationis proprię in minus propriam, si quis diceret Litterarum studia squallent. Ex quibus exemplis facile colligimus quid proprie sit Tropus, et à Schemate per uocis, aut Orationis significationem differre, cum enim dicimus Eloquentię flumen, Ly flumen non significat proprie, sed translate Eloquentię Copiam. At non eadem est Schematum uirtus, ut suo loco patebit. Obseruastis in discrimine adesse duo uerba Dictionis, & Orationis, per quę Tropi ipsi differunt inter se. Alij enim sunt Dictionis u. g. Carina pro tota Naui, Cor Adamantinum pro duro homine, ubi enim uidetis in una tantum Dictione, siue Verbo decus consistere, atque huius generis Octo Tropi enumerantur, suntque Metaphora, Metonymia, Synecdoche, Antonomasia, Onomatopeia, Catachresis, Metalepsis, atque Antiphrasis. Alij Tropi sunt, qui dicuntur Orationis, siue Sententiarum, ut u. g. Secundi Venti in maxima tempestate fauere, cum intelligam me fortunatum fuisse in negotio periculorum pleno. Neque decus hoc in unica tantum uoce, sed in pluribus situm est, ut patet: Huiusce generis erunt Allegorię, cui, ut uidebimus adijcienda erunt Parenia, Enigma, Ironia, Sarcasmus Micterysmus, Asteysmus, Carientismus, deinde sequentur Periphrasis, Hipgerbaton

perbaton, et Hiperbole, de quib. singillatim, sed primo

De Metaphora

Dicendum de Metaphora primò, de qua si omnia studiosè vellimus persequi, quę hinc indè iactitant Auctores quidam temporis usura abutentes librum integrum absoluerem⁹. Ea igitur seligam, quę tantùm scitu digna, et uestro captui accommodata.

Metaphora igitur, quę latinè translatio nominatur, fit cum uox quędam à propria significatione ad non propriam cum similitudine transfertur; exemplum facimus si dicimus: Perdite Adolescens, qui negas tui studiosum audis, si pro ly audis intelligas nolle Discipulum Pręceptoris consilio obtemperare. Fit autem pluribus modis u. g. sub nomine substantiuo caderet, si diceretis: In hac Schola nullus est, qui Asinus esse uellet, scilicet nullus, quem negligentem esse u. peniteret: Idem dicite si aliquem Argum appellarem, ipsum scilicet benè oculatum, et perspicacem in intelligendo; Undè in scripturis diuinis Homines pro Dij dicuntur, et Angeli. Tropum facimus si placet per adiectiuum u. g.: temerè quis existimat me hominem ferreum esse. Per uerbum itidem sic: Male suetus Iuuenis, cum reprehendis, ringit pro indignatur: nec non per Participium si dicerem: Sic uobis loquor studij uestri magis, quam glorię inflammatus cupiditate. Ac Adnotate quibus modis erui posit hęc Metaphora. Dico igitur aliam esse posse propinquam, remotam alteram. Prima educitur ab unoquoque sensum sic: Prospiciam, quę studiosę Iuuentuti usui futura sint, scilicet consulam, hęc ducta est à uisu; Alteram dabit Auditus sic, sicum Terentio loquar an auscultem Seni! scilicet obtemperem. Olfactus itidem aliam tali pacto: Morosi Iuuenes interdum putent, scilicet displicent. Gustus tandem, ac Tactus, sic primus: Supremis tantum labijs uirtutem degustare, secundus uerò facit propter egregias animi dotes aliquem beneuolentia complecti, pro intimè, ac sincerè diligere nec

non

non alicuius cicatricem refricare, pro alicuius renouare dolorem. Tandem adest, & corporis Gestus, qui Metaphoram non ineleganter parit ut de illo, qui superbè incedit solemus dicere, dum graditur, semper buccas inflat, sic ponere supercilium pro humilem esse.

Accedit deinde, quæ remota appellari potest, fitque commode quatuor modis, primo cum id, quod Bruti alicuius proprium est, tribuimus alicui non Bruto v.g. è portu ipse vidi iratum Mare. Secundo quod alicui non Bruto conuenit tribuimus Bruto, ut intumescentem pro feritate Leonem contemplari: Tertio cum aliquid transferimus à non Animali, ad non Animal, ut fecit Severinus hoc monostico

Carmina quæ quondam studio florente peregi.

Ita cum dicimus Concionis fluctus, Orationis flumen. Quarto verò cum prędicamus aliquid de Bruto, quod hominis proprium est, unde solemus dicere Canorum Cygnum, Psitacum Loquacem.

Igitur adnotandum tria posse causari Metaphoram; Primo cum adest necessitas unde solent Rustici dicere gemmam in Vitibus, & Vites gemmare. Secundò maioris requisita. Sic aliquis cum Ciceronem inflammat gloria, &c. Tertio Orationis Ornamentum v.g. Cuncta Ciuitas Prętorem ueneratur: Cum autem soleat frequenter adhiberi, fit, ut sepius deturpetur Metaphora; Quod tandem diligenter prestamus, cum uitia minimè tenemus, quæ sex adnotantur præcipua, ad quę cetera facilè reduci possunt. Primum uitium contrahitur per similitudinem nimium disiunctam, ut si dicamus Cęli fornices: Secundum per res sordidas. Tertium per rès nimis depressas. Quarto cum maior est, quam res postulat, non enim Oratorem decent, quę Poetam, qui libentius hoc Tropo utitur, unde potius ad leniendam temeritatem, uel audaciam possemus intertexere uerba illa ut ita dicam, si mihi sic loqui liceat, si ità est fas dicere. Quintum per imitationem unius inchoactę Metaphorę ad aliam u.g. uultus amęnitas uix relucit, cum deliquescit. Ubi uidetis transitum

fieri

fieri ab amœnitate ad luce, ab luce ad Nive, cuius propriu est lique-
cere, undè non adest similitudo, atq. imperiti ingenij argum.^{tu} esset, quemad-
modu è contra uerba optimè translata prestantis ingenij signu est. In-
quit enim Aristoteles lib. 3.°, cap. 2.° de Arte Rhet.: Res longè discitas
comprehendere, atq. dispersas, quę uidens nexu deuincire ingeniosi est:
Sextum, et ultimum adnotaq. per crebras Metaphoras, et pręcipuè in
eadē specie, rarior enim usus commendat et frequens deturpat Orationē,
pręcipuè Epistolas, et breues Oratiunculas.

~ Metonymia ~

Tropus hic, quem Oratores solent etiā Hypallages nomine appellare, la-
tinè Transnominationē significat, est quę cum aliquid per aliquod
uicinū intelligimus u.g. Cęsarem non tā Martis, quā Palladis studi-
osū prędicamus, scilicet tā litteras, quā arma coluit Cęsar. Sed fit
plurib. modis: Primò cū alicuius rei Inventorē, uel Auctorē ponimus
pro ipsa re inuenta, sic si dicerem: Christū in pectore semper deferam,
intelligens legē nouā. Sic Baccho deditum esse, pro eo, cui uinum
ualde placet similiter uario Marte pugnare, cum belluū dubiū fuit
et similia, cuiq. studioso Adolescenti obuia. Secundo, cū continens
accipimus pro rebus contenta, ut Gymnasium eloquens pro Discipulis
uirtute expolitis. Sic Teuculus Muriano interdixit, &c. scilicet Ciuib.
Murianensibus, uel felix seculū pro hominibus, qui uiuunt feli-
ci seculo. Tertio cū è contra id quod continet ponit. pro continente
sic Virgil. uina coronant pro Vasis, quib. continet Vinū, et alio in loco

Iā proximus ardet Vcalegon,

pro Domo Vcalegontis: & Terentius hunc comedendū uobis propono,
pro huius bona. Quarto cū pro effectu ponit. Causa Efficiens sic cū
Horatio: pallida mors, cū Virgil. pallentes Morbi, ubi intelligit. morte,
ac Morbis pallidos fieri, sic frigus pigrū, audax iuuentus, &c. Quin-
to cū Ducē ponimus, pro Militibus, tali pacto Hannibal cęsus
est pro

est pro suis militibus, uel Auctorem pro suo Opere, ut Cicerone, ualdè delector, &c. Sextò cum signum ponimus pro re signata, ut

Cedant arma Togę concedant laurea uirgę,

sic legimus fasces, secures deposuit, scilicet consulares dignitatem, sic Hispanus liliorum odores semper fastidiuit, pro Gallos, Cruces sequar pro Christo, quę tamen omnia cautè adhibenda sunt in Orationibus, cum facilè sit Poeticam dictionem redolere, undè Auctores sedulò euoluendi sunt, atque ab ijs edisceve, quę usui magis adhibenda uidentur; Facilè enim esset in Acirologiam, in obscuritatem scilicet incidere.

Synecdoche

Tropus hic est, qui latinè intellectionem significat, et per istum aliquo modo unum ex alio intelligimus, ac nouem modis contingere solet: Primo cum unum pro plurib. accipimus, ut habemus in Virgil.: Armato milite complent, pro armatis militib.: Secundò è contra cum plures pro uno, cum scilicet dicimus, uidi Cicerones, pertimui Cęsares, admiratus sum Aristoteles, pro Cicerone, Cęsare, Aristotele. Tertio ex parte totum, unde Cicero 2.a Philipp.: Ò tecta ipsa misera! quam dispari Domino tenebantur. item si cum ioco alicui dicere ridiculum, seù lepidum, caput pro aliquo, &c.; Quarto è contra totum pro parte sic

Fontem ignemque ferebant,

pro aqua quę è fonte ducta est. Quinto ex specie genus, sic iracundior Adria dixit Horatius, pro quouis tempestiuoso Mari. Sexto ex materia res confecta agnoscitur, ut cum dicimus cum Ouidio: Fixit sua pectora ferro pro gladio, et ego iam diu est quod argentum mihi deest, scilicet Nummus. Septimo cum ex antecedentib. intelliguntur consequentia, ut: crebris micat ignibus Æther, ergo tonabit, Virgil. itidem alio in loco

Aspice aratra iugo, referunt suspensa iuuenci,

scilicet nox aduentat; Octauo è contra ex consequentib. antecedentia

dentia, ut Iris est in Cœlo ergo pluit. Ultimo cum intelligis ex alia re qualicunq. ratione, sic si diceres cum Terentio, & Tebæ steterant altaq. Troia fuit, pro Tebæ iam dirempti sunt, et Troia iam flamma absumpta. Hic observandum est ne crebro hoc Tropo in soluta Oratione utamur. Cicero enim si dixit mucronem pro gladio, nunquam dixisset quadrupedem pro Equo. Videndum igitur quandonam adhibendus sit, et quibus in locis.

Antonomasia

Tropus hic permutationem, sive pronominationem Latinè significat. Et fit quoties aliquid ponitur pro nomine, et sequentibus modis potest accidere: Primo cum Patronymica pro nominibus propriis nominamus, sic Cecropides pro Atheniensibus, quia Cecrops primus eorum Rex fuit, Romulidæ pro Romanis, Pierides pro Musis. Secundo cum aliquod nomen commune, vel appellativum ponimus, pro peculiari ut Salvator pro Christo Iesu, Apostolus pro Paulo, unde scitum est Philosophum dici pro Aristotele: Oratorem pro Cicerone, Poetam pro Virgilio, Urbem pro Roma, Timographum pro Catone, Epigrammatographum pro Martiali. Tertio è contra, cum pro Appellativo, aliquod peculiare, vel proprium sic consuevimus dicere Cresum pro fortunato, ac divite, Irum pro Paupere, Curium pro homine frugi, Catonem pro homine gravi, Iobum pro patiente homine in sacris litteris, Epicurum pro voluptuario, Sardanapalum pro moli, et Tersitem pro deformi, Epimenidem pro somnulento, Verrem pro fure, Ulyssem pro callido, ac doloso, &c. Quarto ponitur nomen alicuius gentis pro homine, ut Cretensis, pro vano, ac mendace, Pœnus pro perfido, Asotus pro luxui dedito, Pigmeus pro brevi, Scita pro crudeli, &c. Quinto ponitur possessivum pro proprio, sic Cyntiam dicimus, & Dianam intelligimus, Cilenium pro Mercurio, Citheream pro Venere, &c. Et Tropus hic, ut videmus non tantum Orationem exornat, quinimo rerum peritiam ostendit.

Onomatopæia.

Tropus hic confictionem novi Nominis significat ad rem aliquam demonstrandam, et quo magis veteribus eleganter permissus fuit, eo minus presenti seculo

seculo in usu esse debet. Et ut intelligatis quam accurata ratione euitandus sit, illud ne pigeat adnotare, quod euenit de Sisena Oratore quodam, qui Cotillum defendebat, accidit, ut uerbum istiusmodi pronuntiaret. Sputatilica enim sunt illius crimina, cuius Caius Ruffus aduersarius exclamauit; circumuenior Iudices nisi subuenitis: Sisena quid dicat nescio, metuo insidias sputatilica? quid hoc est? sputa quid sit scio, & statim expuit, quid tilica? nescio, quem risus communis subsecutus est, fit tamen quoties ad aliquid exprimendum nomen conueniens effingimus, ut Taratara dixit Enius pro sonitu Tympani, ab hac figura discite ortum traxisse illas uoces mugitum, tinnitum, sibilum, uagitum, &c., sic uerba ballare, rude crocitare, coaxare &c. Verum nostris temporibus non tam frequentes hæ uoces esse debent, alioquin ea, quæ moderatè adhibita aures lætitia afficerent, animos inde frequentia nimis offenderet, sic si diceremus Rhetoricari, Philosophari, Theologari, &c.

Catachresis

Tropus hic latinè dicitur abusio est alieni nominis usurpatio, et fit propter necessitatem, quando scilicet proprium deest uerbum, unde improprium aliquod simile adaptamus, ut si quis Paricidam pro matris interfectore nominaret, & paruam staturam, cum breuis sit appellanda, longumq. consilium, cum magnum, nec non cum uitijs dant nomina uirtutum ut si dicamus fortitudinem pro temeritate, auaritiam pro parsimonia, &c.

Metalepsis

Tropus hic est, per quem quasi gradatim imus ad illud, quod uerbis ostendimus, sed apud Poetas tamen in usu est, & ij ipsi in hac figura maxima diligentia utuntur, iam euulgatum exemplum, et communiter receptum illud Virgil.

Post aliquot mea regna uidens mirabor aristas

ubi per aristas spicas intelligit, per spicas messes, per messes æstates, & æstates

per estates uerò annos uoluit indicare, et quinto

Septima post Troiæ excidium iam uertitur estas

Unde qui adhiberet Tropum hunc, & affectatam, & obscuram faceret Orationem. In sacris Litteris Exod. cap. 14 habemus hæc uerba egressi sunt excelsa manu, unde intelligimus egressos esse alacres lætos, & benè sperantes: Manus enim solemus ad lætitiam exprimendam attollere, et eleuare, ad hoc igitur notanda Metalepsis, ut eam obseruemus in Poetis, at ab ea nos abstineamus.

Antiphrasis

Tropus hic elegans est, sed fieri debet, cum maxima animaduersione tunc enim cadit, cum uox una pro contraria intelligitur, sic bellum dicimus, cum minimè bellum sit, sic parcas, quia nulli parcunt; Ut ludus litterarius dicitur, cum litteræ omninò ludi contrariæ sint, et Nanum aliquem Atlantem predicamus. Et falsum est, quod inquiunt non nulli hanc cum Ironia conuenire, nam Ironia uoce gestu, et pronuntiatione, ista uerò per uerba tandem dignoscitur. Hæc sunt, quæ dicenda erant de Figuris, quæ ex dictionem contrahuntur: Modo de ijs quæ Oratione construuntur, scilicet, quæ per uerba plurima fiunt, quarum proprium est sensum facere dissimilem ijs, quæ exprimuntur. Res clarior occurret in istis, qui sequuntur, quorum primus

Allegoria

Pro intelligentia sciendum Allegoriam latinè permutationem, uel inuersionem significare, diciturque Metaphora continuata; Nam tota Oratio significat aliquod diuersum ab ijs uerbis, quibus utitur, et sensum facit alterum, quemadmodum uidere est apud Tullium in Pisonem; Neque tam fuit timidus, ut qui in maximis turbinibus, ac fluctibus Reipublicæ Nauem gubernasse, saluamque in portu collocasset, frontis tuæ nubeculam uel Collegæ tui contaminatum, spiritum pertimescerem: Sic alio in loco Cicero laurea maximis periculis parta, amittit longo tempore uirilitatem

tatem

tatem, quib. in exemplis uidetis aliud dici, et aliud significari, sic si diceres cum Terentio Oues Lupo commisisti iam intelligitur à quocunq. rem aliquam securam non esse in illius potestate, cui tradidimus constituendam. Sic uino uendibili nihil est opus suspensa hedera, significamus rem per se commendabilem esse. Illustre sanè exemplum, ideoq. communitèr receptum illud Horatij lib. 1.° Ode 14 de Republica Ciuili reparante: O nauis referant in Mare te noui fluctus, quam significationem dabo uiua uoce, at uobis lubens adducam duor. seruor. Allegoriam plautinor. sanè iocosum, quor. unus Sagaristion, Toxilus alter nominabatur; placeat igit. ea adnotare, cuius sensum uiua uoce explicabo, uerba sunt S. caue sissa cornu. T. quid tam! S. quia boues bini hic sunt in crumena, emitte sodes ne enices fame, sine ire pastum. S. enim metuo, ut possim in bubile eicere, ne uagentur; T. ego eijciam. At hęc figura frequens est etiam in Scripturis diuinis; Habemus enim Mat. cap. 3. cuius uentilabrum in manu ipsius, et purgabit aream suam, et colliget triticum in oream suum paleas autem igne comburet inextinguibile. Sensus enim ualde differt à uerbis notatis; significat enim Christum potestate habita à Patre die Iudicij uenturum, et bonos beatitudine affecturum, malos autem damnatione. Idem dic de parabula in uinea de eo, qui latrones offendit, &c. Vnde hic obseruandum, ne uitium illud faciatis, quod adnotaui superius in Metaphora, scilicet ne quo genere translationis ceperis, altero desinas. Atq. his in locis adhibenda est, in quibus ea facile intelligunt, quę uolumus significare. Veniunt Allegorię species, quar. prima

Parenia

Pro intelligentia sciendum Pareniam esse id, quod nos adagium, siue prouerbium dicimus. Adagium, ut inquit Varro, est quasi circumagium: Illud scilicet, quod omnibus commune est, atq. omnium per ora uoluitur. Audistis sępius dici Sus Mineruam docet, tunc intellexistis uelle hominem

inscium

inscius, ac ferè illitteratus Virus sapientes erudire. Sic cum dicimus mali Corui, malum ouus, filius scelestum Patris uitijs inquinatus intelligimus. Rarò adhibenda est, & esse debet nouitate aliqua referta à communi sermone aliena; Tunc animatas is Orationibus, quas in Epistolis uenustates, atq. elegantias parit, faciunt ad hanc enarrandas formulę quędas u. g. quod dici solet, ut uetus habet prouerbius, ut ex ueteribus Scripturis, ut habes in diuinis paginis: Sic Canis ad uomitus rediens durus est contra stimulos calcitrare

Enigma

Pro intelligentia ~~aduerten~~dus Enigma nomen grecum à ueterib. nostris Sirpus fuisse dictum, ut testat. Gell. lib XII. Cap. VI., nos uerò obscuram quamdas Allegorias dicimus, quę pluribus uerbis explicari debet quam ijs quibus propositum fuerit Enigma tale eset, si tibi proponeres explicandus mihi hor. uerbor. sensum: Et quoddas, cui dempto capite uolat, intelligendo de Naui; Sic Mater me genuit eadem mox gignetur ex me non fugeret responsio, si de glacie hoc factus diceres. Enigmata obscuritate referta inuenies in sacris Scripturis, ex quibus te uix expedies, nisi adeas probatissimos interpretes: nec non in responsis Deor., uel oraculis Sybillar. Poetis hoc crede aliquid adhibendus, non Oratorib. Illud addam cuiusdas qui sic supra Virus talis ludentes. Vidi carnes humanas ossibus ludentem in campo ligneo, et hoc de Cane celesti; Cetera omittens, ne rabia corripiamini; Canis cum et nunquas satro, nunquas depascor, et nunquam morior, semper in cursum, et nunquas defatigor, nemo nisi inter tenebras meo fruitur aspectu. Valet uerò ut uidetis ad Vrbanitates aliquas, et sales cum simus inter Amicos; ceterus à Quintiliano damnatur, ut uitius, ut pote obscures, neque nos nisi uirtutem sequi tenemur.

Ironia

Pro intelligentia aduertendus Tropus hunc latinè illusiones dici, atq.

sermo

sermo quidam, quo contrarium intelligimus illius rei, quam verbis exprimimus, et solet significari uel per gestum, uel per uocem, uel per pronuntiationem, sic cum Terentio: Ille autem bonus Vir nunquam apparet; Vel cum Cicerone; quid ais bene custos, defensorq. provinciæ; Sed melius in scripturis sacris lib. 3. Regum cap. 18 clamato uoce maiore Deus enim est, & forsitan loquit, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitet, &c. At et Mat. 26. Dormite iam, & requiescite. Ubi uidetis gratiam suam habere locos hos omnes; Tectam enim uituperationem semper uenustiorem facimus, quam apertè reprensionem; Videndus Aristoteles Rhet: ad Alex. cap. XX., et Quintil: lib. III. cap. VI., qui docent necesse esse, ut gestu, et uoce comitet., alioquin posset id significare, quod contendit negare: Sic quidam alterum redarguit, à quo offendebat: sic est cur me despicias tu, qui tuus Pater sublimis obierit, unde ad hoc inseruire possent sequentes uoculæ nempe, scilicet, uerò, quasi uero, credo, sane, &c; At species suas habet Ironia, quas libeat assignare, cumq. quatuor sint, har. prima erit

Sarchasmus.

Sarchasmus nihil aliud significat, nisi irrisionem, aut iocum, sed qui ualdè non placet, aut contemptum significet, est in Virgil.

I nunc et uerbis uirtutem illude superbis

Apertè perpetuo duraturis inferor. flammis damnati Iudei dum in Cruce pendentem sic IESUM uerbis illuderent: AVE REX IUDEORUM et si filius Dei es descende de Cruce, et de Iosepho fratres eius ecce Magister ille somnior. uenit. Facit ad hoc cuiusdam petitio alteri facta, qui dolebat eius Uxorem laqueo se suspendisse fico alligatam, dixit precor, ut & mihi des ex hac Arbore quos seram surculos, significans se uelle, ut et hoc faceret illius Uxor

Mycterismus.

Nihil preter simulatam, sed non latentem derisionem significat, hec cum ueluti

ueluti suspenso, et contracto naso aliquid nobis fastidium facit, unde dictum in Ex: cap. XIV forsitan non erant sepulchra in Ægypto? Ad Mycterismum reduci potest illud dictum Ciceronis ad Hortensium, cui dixerat, non intelligo ista tua enigmata, respondit, et tamen tu es, qui Sfingem Domi habes, nam ei a Verre sfinx auro dono data fuit, quam ipse Cilicia furore ad se portauerat. Placeat adnotare iocum Terentij Vegæ. Fuit quidam Titius nomine, qui pilla strenue ludebat, sed fur erat, et nocte statuis argentijs brachia auferebat. Quærentib. aliquibus ludorum socijs aliquando, cur non appareret Titius, Vega respondit hac nocte brachium fregit, figura autem, nisi gestu significetur, uix credo posse uerbis exprimi

Asteismus

Nihil per hunc nisi Vrbanum aliquem, et facetum iocum significamus uerum tanta prudentia deductum, ut sapientis dictum redolere uideatur, huiusmodi est illius, qui dixerit: qui Bacchum non odit amet tua carmina meri, nempe uoluit intelligere carmina Cui Bacchi carminib. peiora esse.

Carientismus

Hic est, quo uelles omnes uterentur, cum eos corripit ira, scilicet est, quo dura, et acerba dicta uerbis gratiosis molliuntur; Scriptum enim est: Responsio molis aut lepida frangit iras.

Periphrasis

Tropus hic circumitionem, uel loquendi circumlocutionem significat, et est quando aliquid pluribus uerbis explicatur, quod fieri poterit paucioribus, aliquando autem Oratores decet tropus hic ad aliquid plenior uerborum copia significandum, quemadmodum si dicerem humanæ salutis assertores, melius esset, et sonantius, quam si tantum Christum nominares. Sic etiam Preceptoris clementia discipulorum animos sane arrogantiores reddit. Addam ex quibus modis Pheriphrasis possit erui; Primo ex

aliquo

aliquo facinore, si diceres. Monstrorum Domitor pro Hercule, Romanæ Vrbis Conditor pro Romulo; Secundo ex Patria, ut Venusinus Vates pro Horatio. Tertio ex aliqua secta, ut Peripateticæ Scholæ Princeps pro Aristoteles, &c. Quarto ex Ethimologia considerando scilicet Originem nominis, quam definitionem grammaticalem dicimus, talis esset, si pro Theologo dicerem, qui de Deo, et reb. divinis disserit; Quinto ex notatione, quæ definitio Rhetorica dicit., cum per sua accidentia rei alicuius in notitiam devenimus, si quis de molli Iuvene diceret caput uno scalpit digito, de Chirurgo, qui vulnera paniculo abstergit; Tertius Alcidis Labor pro Hydra, huiusmodi fuit dictum illud in salsamentarium: Tace tu, cuius Pater cubito se emungebat. Sexto ex definitione, quæ definitio Dialectica nominat., quo rem ipsam nominamus, ut cum animal dicimus rationis particeps pro homine; Hac figura utimur, ut Escorogiam, scilicet verba ut turpia fugiamus, et Poetæ ornatus gratia, quemadmodum in descriptionib. Mensis, Anni, Diei, Noctis &c., quæ passim offendimus, aliquando iocandi gratia, ut de Nerone, cum quis de ipso potest dicere fur est, maluit sic iocare: solus est, cui domi nihil est, nec obsignatum, nec occlusum

Hyperbaton

Latinè transgressio, ut habet Quintil. Lib VIII. cap. VI., et est, quæ verborum perturbat ordinem perversione, & transgressione. Primo si quis diceret hoc vobis Deos immortales arbitror dedisse virtute pro vestra, rursus si cum Virgil. p.º Æneid.

Mare omnia circum

Hæc autem perversio dicit. à Græcis Anastrophe, est quæ cum duorum verborum ordo præposterus est, quemadmodum vulgo mecum, tecum, secum, &c., unde arguit Aristotel. Art. Poet. q. 21 Quemdam, cum scribant Domibus ab pro ab Domibus &c., transiectionem autem fit v.g. instabilis victum plurimum fortuna valet. Hæc autem dicendi regula dummodo rem, vel narrationem obs=

rem obscuram non reddat, ad continuationes uas de conducit, sic Cic. pro Clu.
Animaduerti Iudices omnes accusatoris accusationem in duas diuisam esse
partes. Seruit etiam ad iocum cum nomen, uel uox una aliqd.º inciditur, quod
fortasse obseruaueritis in distico uulgato de Muliere, cui nomen Catherina.
Additur ad Tropum hunc, et lusus ille superius adnotatus, quo solemus litte-
ras alicuius uocis secare, ubi iocus appareat, ut est illud Sculptoris: In me-
moria ęterna erit, seiunxit me ab moria, sic in me moria ęterna erit, eum
ęternę stultitię damnans. Omnibus notum illud Virgil. 3. Georgicorum

Hyperboreas septem subiecta trioni

sed hanc postremam dicendi formam adhibere licebit, sed Virgilij fueritis.

Hyperbole

Pro intelligentia sciendum Hyperbolem dictionis, uel Orationis fidem supe-
rantem, uel augendi, uel minuendi gratia nostris hisce temporibus maxi-
mè familiarem, undè aduertite si primo modo fit Meiosim dici, si secundo
Auxesim; Et uerò quod nostra tempestate frequentius, cum uel summè lau-
damus, uel summè uituperamus, dicimus enim de homine, qui parua de-
derit, in illo non adesse liberalitatem, cum ipse liberalitas sit, uel è contra
alterum non scelus ipsum. Placeat non nulla adnotare, quę fortasse iuuabunt
suo tempore. Mirabile dictum est illud Latini Pacati ad Theod. Cedat terra
cretensis parui Iouis gloriata cunabulis, et geminis Delos raptata Numi-
nibus, et alumno Hercule nobiles Thebę, fidem constare nescias auditis, Deum
dedit Hispania, quem uidemus. Martial. itidem ad Domit. cum Dijs memo-
randa templa extruxerit, dixit

Expertes, et sustineas Auguste necesse est
Nam tibi quod soluat non habet arca Iouis.

et de Venetorum Republ. Sanazarus post Romę, et Venetiarum collationem
epigrammatis clausulam facit

Illam homines dices hanc coluisse Deos

extant de Xerse uerba Seniani, Terras armis obsidet, Cęlum sagit-
tis.

tis, maria uinculis, Lacones, nisi succurritis, Mundus captus est. Sanè dignus est, qui audias pauper quidam in diuitem, qui sibi flammis arborem absumpsit; Dixit igit. pauper: Arbor illa mihi erat meum rus, mea Roma, totum igitur mihi Mundum incendisti diues, neque uerba Aspernatis aspernanda hic sunt, quibus concludit, an Cicero debeat suas Philippicas adurere, ut uitam recipiat ab inimico sic: Si scripta combusseris paucos tibi annos promittit Antonius, si non conbusseris Populus Romanus promittit æternitatem.

Verum has dicendi formulas, ut uidistis peperit Auxesis, undè habet et suas Meiosis æquè laudabiles, atq. admiratione dignas, quas ne longior uidear, prætermittam, dummodò uos admoneam longè pulcherrimam reperiri apud Martial. Epigrammate ad Amic. suum quemdam, à quo dono acceptum prædiuolum refert, cui initium sic.

Donasti Lupe rus sub Vrbe nostra

Sed rus est mihi maius in fenestra &c.

Iam adite, nam ne in perbreui hoc tractatu hyperbolem faciam, scilicet, ne plura congeram, quam fas est, ad secundam partem deueniemus, scilicet transitus erit ad schemata

De Figuris Verbor.

E maioribus ad minora tanquam eloquentiæ sydera nunc accedimus, et tali nomine fas sit schemata appellare, nam ut Cælum inferioribus stellis nostris oculis lucidiss.[um] ubiq. exhibetur, ita et illud Eloquentiæ fulgentiori pompa per. hasce figuras Maiestatem suam ostentant, et uenustiorem periodi ornatum agnoscit, qui totus est in figurar. uarietate, et uenustate, quæ figuræ à Græcis schemata, à nobis uerò, ut adnotat Verepeius habitus dicit., eo quod figura sit habitus, et Orationis uestis. Figurar. uarietate necessaria, sed per Tyrones, quæ maximis uoluitur difficultatibus. Breuiter nos ijs Auctoribus inhærentes, qui hac in re lucem præclariss.[am] retulere ab estuarijs

uenienmus

ueniemus in portum; Videndu̅ igi͡ꝫ quot sunt figurar͡ꝫ genere, et quomodò inter se differant.
Prius igitur dicendum quid sit figura cum Quintil. lib. 9. cap. 9.º, ut patet ex ipso nomine nihil aliud est, nisi Conformatio quędam Orationis remota à communi, et primum se offerente ratione: Vel clarius, sic est Orationis ueluti lumen quoddam, quo supra sermones quotidianu̅ Oratio illustratur, ac ueluti colore quodam dipingi͡ꝫ, ut elegantior, et iucundior sit.
His premissis sciendum quot sunt figurar͡ꝫ genera, definitionem enim ut plurimum sequitur diuisio. Duplicis igi͡ꝫ generis sunt figurę, alię quę uerbor͡ꝫ, alię quę sententiar͡ꝫ nominan͡ꝫ: Sed pro faciliori intelligentia sciendum, Orationem omnem et rebus, et uerbis constare; Rerum nomine intelligimus ipsas sententias, seu illud ipsum, quod uolumus significare; Verbor͡ꝫ autem nomine ipsas uoces mentis nuncias, atq. interpretes, uel dic, quod in figuris uerbor͡ꝫ dictio ipsa significan͡ꝫ, non dictionis significatio, quod spectatur in Tropis, et in his figura tolli͡ꝫ si uerba mutan͡ꝫ. In figuris sententiar͡ꝫ non spectan͡ꝫ ordo uerbor͡ꝫ, nec Orationis augetur corpus, sed tantum uarian͡ꝫ Orationis habitus, et quasi uestitus, et manet figura quibuscunq. modis inuaries uerba; sed quam uarie multiplex figurar͡ꝫ usus Orationis faciem immutat: obseruastis ne, ut hoc idem explicem, rudi, ut aiunt, Minerua plura eidem corpori adaptari uestim͡ꝫ^ta quor͡ꝫ alia ad uenustatem, alia ad grauitatem, alia ad luctum, ad mestitiam alia, ad humilitatem, et ad sanctitatem accommodan͡ꝫ? Ita eadem sententia diuersimodè potest figuris, et formis explicari, ac quodammodo circumuestiri, quar͡ꝫ alię uenustatem, alię grauitatem, alię et acrimonias preseferant. Igitur ex hoc fit, ut figurę alię dican͡ꝫ sententiar͡ꝫ, uerbor͡ꝫ alię. Postremę de quibus primò agendum, tripliciter diuiduntur. Sunt enim non nullę, quę per adiectionem, alię per detractionem, alię deniq., quę per similitudinem fiunt. Quę per adiectionem sunt

Anaphora

Latinè repetitio, undè pulchra tibi fiet uerbo repetenda figura, quare, tunc cadet, cum ab eodem uerbo ducimus Orationis principium. Huiusce rei plurima apud celeberrimos eloquentiæ Magistros exempla inuenietis, ut apud Cic. in Catil: nihil agis, nihil moliris cogitas, quod ego non modò audiam, sed etiam uideam. Et apud Atheniam ubi rosæ, ubi uiolæ? ubi mihi pulchrum [illegible] &c. In scripturis itidem diuinis passim, patet in psalmo XVIII. uox Domini in uirtute, uox Domini in magnificentia, uox Domini confringentis, &c.; Quæ figura facit non tantum ad ornatum, sed etiam amplificationem, & uim habet

Epiphora

Latinè conuersio, unde crebro ponit idem uerbum conuersio fini, ~~quemadmodum~~ quemadmodum si quis diceret cum Cicerone: Penos Populus Romanus iustitia uicit, armis uicit, liberalitate uicit, &c. ex quibus uides hanc figuram superiori contrariam esse, sic si quis diceret Caius Lelius homo nouus erat, ingeniosus erat, doctus erat, bonis uiris, et studiosis amicus erat, ergo in Ciuitate primus erat. Vel cum Diuo Paulo, cum eram paruulus, cogitabam ut paruulus, loquebar, ut paruulus, sapiebam ut paruulus, quæ figura etiam Poetis accommodata propter certum ueluti pedum numerum

Simploce

Latine complexio, unde principio, et fini dat idem complexio uerbum, et est, quæ Anaploram, et Epiphoram simul complectitur, uenustius[um] habetis exemplum apud Eloquentiæ Principem in Milone: sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in Atrio libertatis, quibusnam de seruis rogas? de Pub. Clodij: quis eos spoliauit? Apius, quis produxit? Apius, &c., sed ualde excellit, si non elegantia, pietate saltem illud Bonauenturæ, qui precandi studium hoc genere exornationis commendat, sic: Si uis patienter tolerare aduersa, uaca Orationi:

si uis ten-

si uis tentationes, et tribulationes superare? uaca Orationi, si uis astutias Satanę cognoscere, et eius uitare fallacias, uaca Orationi, &c.; Vnde patet quam gratè aures figura hęc impleat hilaritate

Anadiplosis

Latine conduplicatio, unde conduplicat uerbum tibi conduplicatio semper, fit autem quoties ratione amplificationis, aut commiserationis, aut laudis, aut alicuius uitij unius, uel plurimum uerbor; fit iteratio, locumq; minimè seruat, quia fit in principio, uel medio, uel fine, ut u. g.

Tu ne patrem gladio crudelis nate necasti?

Tu ne patrem, &c.

uel sic: Ambo florentes ętatibus arcades ambo

Aut: Multa super primum flagitans super Hectora multo.

Vel sic quod uerbū idem post aliquam interiectionem nominamus; u. g.: Bona me miserum multis enim consumor lacrymis, bona inquam, G. Pompei acerbis. me uoci subiecta Preconis et Martialis ad Salet.

Illa diues mortua est secundilla

Nollem accidisset hoc tibi Saletana

Climase

Latine assensus, siue gradatio, unde è uerbo in uerbū solet ire gradatio semper. Est cū Cicerone, quę repetit quę dicta sunt, et prius quam ad aliud descendat in pluribus resistit, u. g. Cic. pro Rosc. Amerino: In Vrbe luxuries creaq. ex luxuria existat auaritia necesse est, ex auaritia erumpat audacia, inde omnia scelera, et malefitia gignuq.; Vestrę committo diligentię, quod Cic. habet pro Mil. n.º, quod nimis confusū breuitatis gratia pręteree; Sed hic aduertendum, quod adnotant huiusce artis institutores non ad hanc figurā adhibendā nobis descendendū esse nisi raro, et q.do res successionē habent

Polietoton

Latinè traductio, undè clausula composita est vario Traductio casu, est, quę variata casibus eiusdem nominis iteratio v.g.: Hunc tu hominem appellas, qui si fuisset homo nunquam crudeliter vitam hominis petijsset. vel cum Vate: Litora litoribus contraria fluctibus unda;

Imo cum ipso Cicerone, ut poteritis videre pro Archia n.º 14, sed pleni omnes sunt libri, plenę Sapientum voces, plena exemplorum vetustas; Adnotandum autem modum hunc frigidum esse, ut ait Quintil. lib. 9. cap. 3. quando scilicet una dictio eadem verbum est, et alia nomen v.g. veniam si Senatus dabit veniam; Hic placet edicere illud tam evulgatum de Christo Domino

Mors mortis morti mortē nisi morte dedisset
Celorum nobis ianua clausa fuit.

Peanodus

Latinè synonimia, unde scoma facit semper, qui plurima sinonima dicit: et est cum plurima congeruntur verba eadem significantia, sic Cic. in Catil.: Perge quo cępisti egredere aliquando ex Vrbe, patent Portę proficiscere &c. et alio in loco abijt excessit, evasit, erupit sed in casu adnotabitis verba non debere de trivio abripi sed ex selectioribus deligi, ut vehementiorem habeant encisionem. Hęc quę per adiectionem. Nottę modò

De Figuris verborum
quę fiunt per dectractionem

Hę, quę nunc explicantur figurę, siearum naturam velimus perpendere ad maximam breuitatem novitatemq. excogitatę fuere; Vnde non mirum, si maxima breuitate itidem tractentur, et explicentur. Prima igitur est

Elypsis

Latinè intellectio, unde de toto partem, aut de parte intellige totum; Figura est, quę etiam dicitur Sinecdoche, sed non illa, quę tropus est, ut habet Quintil.

Quintil. Lib. IX Cap. III., & VIII Cap. VI. Tunc autem cadit hæc figura, quotiescunq. totum ponitur omisso aliquo verbo, quod ex antecedentib. aut consequentibus arguimus v.g. Cic. ad Brutum: Sermo nullus nisi de te, subintelligitis habebas, sic si quis diceret rapere arma manu, et tela intentare Ducibus procepit; Nam aperte tale verbum adlibet, unde vides raro adhibenda hæc figura, solisq. Historicis, ac Poetis concessa, unde Ellypsis erat Plinii Domitianus nobis verbis pingentis superbia in fronte, ira in oculis, pallor in Corpore, in ore impudentia

Dialiton

Seu, ut vocant Grammatici Asintheton, Latine Dissolutio, unde copula supprimitur, quo tu dissoluere possis, estque quando fit Oratio sine coniunctionib. necessario sub auditis, sic Virgil.

. . . . . . atq. navalibus

Ferte citi ferrum date tela impendite remis,

uel si mauis dicere Oratione soluta cum Cicerone pro Archia. Hæc studia malunt adolescentia, senectutem oblectant adversis perfugium præbent delectant Domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinanq., rusticanq. Hac figura non solummodo uti possumus in uerbis solum, sed tanti Ducis exemplo etiam in sententiis. Hæc tamen ut uides quæ plura sine coniunctionib. aglomerat, quare diligentia adhibenda est maxima in notandis comis suis locis: Possimus enim iis inuariatis sensum aliquem facere, ut habens exemplum in his uerbis: Hic iacet Miles strenuus, parum iactabundus, multum vigil, in Mensa parcus, in acie metuendus, amicis amicus, uitiis carens, uirtute summa. Dei prouidentia mortuum pro meritis remunerat, quæ laudes omnes mutata coma ante nomen strenuus in uituperatione incidunt

Zeugma

Latine adiunctio ponitq. uel in principio, uel in fine, fitque

cum uerbum nunquam mutatum plures clausulas regit, unde non interponitur, sed aut in principio, aut in fine collocatur; Vnde illud Cestij ad Cic. cum insidijs peteres, cum consulartis sic quandocunq. perieris, ad desiderium parum uixisti ad res gestas satis, ad presentem Rempublicam nimium, ad memoriam rerum semper uel sic: Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Secundo uerò modo tali pacto, nec enim is es Catilina, ut te aut pudor unquam à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocauerit. Vnde pulcherrima nimis est, et que ad Orationis uenustatem, sermonisq. breuitatem quam maximam conducit. Quando uerbum ponis in Principio dicitur Protozeugma, quando uero in fine Hipozeugma

Disiunctio

Hec figura est, que dat rebus quibuscunq. sua uerba. Vndè quotiescunq. dicimus aliquid, et suo uerbo concludimus, tunc Disiunctionem facimus. Videbitis furtis quam elegans, uenustumq. pro Archia exemplum sit: Me autem quid pudet, qui tot annis uiuo Iudices, ut ab illis nunquam eodem tempore, aut uoluptas aduocauerit, aut commodum, aut otium meum abstraxerit aut deniq. somnus retardauerit.

His expeditis restat de ijs tantummodò dicere figuris uerborum, que per similitudinem fiunt. Inter alias aures, imo et oculos aliquando in se conuertentes auditorum est

Paranomasia

Latine Anominatio, hanc figuram facit, qui repetit, et aptè uariat uoces. Quare fieri solet aut addictione, aut comutatione, aut detractione litterę uel syllabę u. g. fit primo modo sic apud Cic. pro Cęlio, cum dixit Ciuis bonarum partium, pro Ciue bonarum artium. Melius uero ille Ver. cum dixit eum egregium Astrologum, qui non tam Cęli, quam Argenti cęlati rationem deduceret; Secundo modo sic apud Marcum in Cicna. Tu ne pretorem, predonem dicimus esse. Tertio modo fit u. g. si lenones, tanquam Leones uitabis meliori

meliori uitę te tradidisses. Figura autem pulcherrima est, si pulchrum retinet acumen, frigida, et quę parum sapit, si nullum. Valde ingeniosum fuit quod in Discipulum indoctum quemdam, et humili loco natum contulit Pręceptor; Crederem, inquit, abs te Palem magis, quam Palladem colendam esse; Pales enim Agrorum Dea est. Fuit non nullus, qui ad figuram hanc transtulit, ut faceret nomen non litterarum, sed uerborum detractionem, et iocum fecit in carmine illo Virgiliano, quod fortasse explicastis.

Quin etiam Veterum effigies ex ordine Auorum
Antiqua ex Quercu: pro ex Cedro

Verum tantum iocum non auderem Paranomasiam appellare

Homeoptoton

Latinè similiter cadens, undè facit figuram, qui uerbum simili usu, uel tempore ponit: estq. plura seu nomina, seu uerba eodem casu collocat e. g. pollet auctoritate, circumfluit opibus, abundat amicis

Homeoptoleuton

Latinè similiter desinens, et hanc figuram, si consequi desideras, omnia cum simili tu membro termina eodem, undè cauendum est, ut si casus non sunt in uerbis, in exitu tamen similes sint, ut est apud Cic. tertio in Verrem: quis hoc perspicit preclare nobiscum actum, si Populus Romanus istius unius supplicio contemptus erit, ac non sic statuerit, non istum maius in se se scelus concepisse, cum fama spoliarit, cum tot homines innocentes necavit, cum Ciues Romanos morte, cruciatu, cruce affecerit, cum Prędonum Duces accepta pecunia demisit

Isocolon

Latinè compar est quę cum membra Orationis ferè ex numero pari Syllabarum constant: Venustissimum, & ab omnibus, ut omnium pulcherrimum receptum exemplum prebet Cicero pro Lege Manilia n.º 35 Tantum bellum, tam diuturnum, tam longe, lateq. dispersum Gneius Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte Vere suscepit, media Æstate confecit. Sanè dignum quod scias. illud de peste

pesie: Cito fuge, longè uade, tarde redi: Atq. supra Navim fluctibus iactatam alterum sic: Mugit mare, fremit malus, Antenæ gemunt. Ad quas figuras peropportunam appono eruditionis gratia disticon illud Virgilij

Pastor, Arator, Eques, paui, colui, superaui
Capras, Rus, Hostes fronde ligone manu.

Et alterum cuiusdam Virgil. imitantis

Anguis, Aper, Iuuenis, pereunt uulnere, morsu,
Hic fremit, ille gemit sibilat hic moriens.

Hæc de triplici figura, quæ sicut, aptè adhibita aures dulci ueluti armonia delectat, sic, si inepte ponas. fastidium potius creat audientium animis, non lætitiam

De Figuris Sententiarum

Cum Cicerone tertio de Orat. et Quintil. Lib. 9. cap. 3. nos quoq. de sententiarum figuris sermonem habebimus opus sanè pernecessarium, sed sanè perdifficile: Et hoc qui benè præstabit figurarum genere, iure poterit alijs tanquam fax magni laboris, et Eloquentiæ præire, . Sic non uulgaris Orator Demosthenes sibi palmam præreptus, cum hanc figurarum uarietatem mirificè, et apprimè teneret. Figuræ enim sententiarum, quæ dicendi formulæ sunt, à communi genere remotiores, tripliciter diuiduntur, Et qui has partim aptè uidens ad ducendum, partim ad delectandum, partim deniq. ad mouendum, ne inania uerba faciamus à primis qui sese nobis offerunt, ab ijs scilicet, quæ aptiores ad ducendum uidentur exordiemur, quas inter prima erit

Occupatio

Tunc fit quotiescunq. ea, quæ nobis Aduersarius potest obijcere, præuidemus; Quare sic ea, aut euellimus, aut illud Oratione placamus aptè ante Iudices: Cicero i. Verrem; Si quis uestrum, aut eorum, qui adsicant fortè miretur me, qui tot annos in Causis, Iudicijsq. publicis ita sim uersatus, ut defenderim multos, læserim neminem, subito nunc mutata

uolun-

voluntate &c, quod videte

Subiectio

Hęc figura inter argumentorum formas posita est, quod vis habeat argumentandi. imo hęc inter figuras locum habet, quod ornatissima sit, unde nos hac utimur, quotiescunque contra nos aliquid obijci potest, cui brevi Oratione respondemus. Sic Divus Hieronymus in Epist. ad Eli: qua illum ad Eremiticam vitam adhortatur hoc modo: Paupertatem times? sed beatos Christus pauperes appellat: Labore terreris? at nemo ad leta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum extenta tugurijs membra collidere? sed caput tuum Christus est. Infinita Eremi vastitas terret? sed tu Paradisum mente deambula, &c. Ubi videtis quam aptè tacitis obiectionibus respondeat: quę verba animos sanè nostros ad pietatem saltem, nisi ad religionem deberent impellere: Et si quid habes, quod respondeas? tanto Scriptori responde

Communicatio

Hac nos utimur, quando aut Adversarios consulimus, aut Auditoribus exponimus id, de quo agendum est, ut & ipsi sententiam suam exponant, sic secundo in Verrem Cic. more suo: Heu quam lepidè nunc ego Iudices iam vos consulo quid mihi faciendum putetis, id enim consilij mihi profectò tacite dabitis, quod ego met mihi necessariò capiendum intelligo

Concessio

Est ut inquit Quintil. Lib. 9. cap. 2, cum aliquid etiam iniquum videmur causę fiducia pati, atque concedere, unde Cicero pro Milone: Excitate eum, si potestis ab Inferis, frangetis impetum Viri, cuius vix sustinetis furias sepulti; fit autem pręcipue his vocibus esto, sit, fac, ita, &c. est autem concessio ironica, et fit quotiescunque volumus adversario invidiam concitare, habetque congeriem multorum criminum

num, quę nullo modo concedi possunt. Huiusce figurę exemplum satis oblongum, sed valdè elegans videre apud Cic. in Verrem n.° 46, cuius initium est: Quę est ista Pretura

Sustentatio

Seù, ut Greci Paradoxon est, quę auditores suspensos ęgrentesq. detinet, priusquam ad explicandum accedat ea, quę proposuit dicenda; Ex quo fit, ut Auditores illud, quod nos posteà aperimus spe flagranti expectent, audiuntq., quod nunquam fortasse fuerint opinati: Hęc tam ad vituperationem facit, quam ad laudem. Sic Cic. in Verrem n.° 11 tali pacto etiam nunc mihi expectare videmini, Iudices, quid deindè factum sit, quod iste nihil unquam fecit; Sinè aliquo questu, atq. preda, quid in huiusmodi re fieri poterit. Quid commodum est? expectate facinus, quod vultis, vincam tamen expectationem omnium. Nomine sceleris, coniurationisq; damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati, repentè multis millibus hominum inspectantibus soluti sunt, et Leonidę illę Domino redditę. Sic pari suspensione fit etiam in laudibus, et iocis etiam si dicerem: Si super his me rogatis, mea quidem sententia benè valere optimum est, Nam expectabas aliquod fortasse magnum politię sacramentum

Interpretatio

Est cum non nulla iuxta alicuius aut dictum, aut factum nostra mente iuxta nostram sententiam interpretamus, ut plurimum autem solet adhiberi hisce vocibus, quasi dicat, sic, idest, hoc est, vel ut ego arbitror, &c: Optima in p.° Ænead. extat interpretatio

Quem si fata Virum servant, si vescitur aura
Æthereâ, neque adhuc crudelibus occupat umbris, &c.

ex Oratoribus suppetit exemplum Cic. pro Sestio n.° 26.

Correctio

Est, quę tollit id, quod dictum est, et pro eo id, quod magis idoneum videtur

uidetur reponit, ut si quis post multa extempore subiungeret, sed quo me inconsultum egit dolor, aut melius, si diceret

Sum minus oblitus decoris, quinimo decoris,

ex quo dicor amans, imo ueratius amens: et aduertendum duplicem esse posse Correctionem, unde alia est, quę consistit in uerbo, alia quę in sententia

Congeries

Hęc figura est aut rer., aut uerbor., aut argumentor. colecta multitudo. Hęc autem mirificè, et singulari pompa Orationis faciem collustrat, si ut debet tractet. Primo modo fit, si plura ad illud, quod encomijs extollendum susceperis spectantia congeres u. g. si celebrare desideras, et ante alicuius oculos ingentem apparatum exibere, omnia quidem ad Populi tanti opus esse posunt per distributionis figuram, sed ueluti compendiario modo recenseri poterunt. Huic quam benè figurę conuenit illud, quod ingeniosus quidam Poeta Labuit sic

Sunt duri scopuli, sunt dura et Marmora, durum
Est ferrum in summis robora dura iugis.
Sunt durę rupes, sunt antra, et cornua dura,
Atque Adamas durum, durum hyemale gelu.
Durior at scopulis Herodes marmore, ferro,
Robore, rupe, antro, cornu, adamante, gelu.

Secundo modo cum uerba idem significantia, cum ingeniosa uarietate adducunt., si Cic. pro Cęlio nº 46, quod uidete, si placet; Tertius modus ceteris prestantior fit per congeriem argumentor., qd.º scilicet ex uarijs causis, uel effectib., uel circumstantijs conglobatis uaria argum.ta concludimus, quod ualdè Ciceroni familiare est; Verum si uenustiora peroptatis exempla, uidete in suo Cęlo Palatium Reginę Eloquentię in exercitatione 87 puncto 8, ubi, et alia de Congerie

Preteritio

Figura, quę à Cicerone reticentia uocat., est quę cum dicimus nos pre-
terire

terire, aut non scire, aut id nole dicere, quod tunc maximè dicimus ut si quis cum Cic. pro Sest. n.° 7, qui maximè frequens in hac figura: Possum multa dicere de liberalitate, de domesticis officijs, de Trib. mil. de provinciali in eo Magistratu abstinentia, sed mihi ante oculos obversatur Reipubl. dignitas, quę me ad se se rapit, & hęc minora relinquere hortatur. Hęc figura valdè elegans est per Concessionem, valet quam maximè ad vim argum.ti conciliandam in genere frequentiss.mo solet esse, et quam benè illud occurrit cuiusdam eruditi, qui multum Ciceroni sapere videbatur.

Prętereo cędes, periuria furta rapinas

Tędia fortè darem, si verbis ista referrem.

Omitto illud pro Deiotaro, cuius Orationem vellem, ut attentè vestro studio una saltem vice perlustraretis

Oppositio

Quę etiam vocatur Antiteton, est cum contraria contrarijs opponuntur, seu qdo Oratio contrarijs verbis conficitur. v. g. qdo Ovid. dixit

Frigida pugnabant calidis humentia siccis

Molia cum duris sine pondere habentia pondus,

et illud Psal. Oculos habent, et non videbunt, manus etiam, &c.

et Virgil.

Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris

Distributio

Fit quotiès aliquid plures in partes secatur unicuiq. sua ratione apposita, seu qdo fit venusta quędam partitio, in qua singula singulis respondent, ut Alex. Macedo, neq. in deliberando consilium neque in pręliando Virtus, neq. in beneficio benignitas deerat; nam cum aliqua res in dubium accedisset apparebat Sapientiss.us, cum autem confligendum esset cum hostibus fortiss.us, cum verò premium dignum tribuendum liberaliss.us. Hęc tam illustris figura Coronidem imponet sententiarum Schematibus, quę ad ducendum inserviunt.

Interro=

Interrogatio

Quæ Græcè Herotesis, figura est, qua non percuntandi causa, neq. sciendi nos aliquid dicimus, sed instandi, aut, ut alicuius animi affectus indicamus, fitq. pluribus modis, seu q.do aliquem uolumus laudare, uituperare, aut quando alicui aliquid disideramus, aut q.do alios huiusmodi modo exprimere cupimus, u.g. si qui cum Cic. in Catil. in Orat. principio sic irrumperet. Quousq; tandem abutere Catilina patientia nostra, et patere tua consilia non sentis? et alibi pro Lege Manil. n.o 61 quid tam nouum, quam Adolescentem priuatum exercitum difficili Reipubl. tempore conficere? confecit. Huic preesse? præfuit. Rempubl. optimè ductu suo gerere? gesit &c. Vlterius miserationis causa, ut Virgil. Æneid.

> Heu, quæ me tellus inquit, quæ me æquora possunt
> Accipere? Aut quid iam misero mihi deniq; restat?

Aut per Admirationem

> Quid non mortalis pectora cogis
> Auri sacra fames?

Aut per dubitationem

> Quid primum, medium canam, quo fine quiescam?

Aut aliquid exhibendi causa, ut concine Virgil. ore Didonis Teucros alloquens sic: Vultis et is mecum pariter considere regnis?

et etiam sciendi aliquid causa

> Nate Dea quæ nunc animo sententia surgit?

fit alijs pluribus modis, quos nobis dabit quotidiana Librorum explicatio

Addubitatio

Tunc fit quotiescunq. aliquid agerimus, sed dubijs uerbis, atq. sententia, signum ostendimus Auditori nos ignorare in quamnam partem mentem nostram flectere debeamus. Exemplum, & quidem uenustissimum nobis præbet Liuius, lib 8 ubi inducit Scipionem talia proferentem: Apud Vos quemadmodum

dum uocer, nec Consilium, nec Oratio suggeditat, quos, nec quo nomine ag-
pellare debeam scio, an Milites! at imperium renuistis. Sacratos! religio-
nem rupistis. Hostes! corpora uestrum habitum, linguam agnosco. Ciues! fac-
ta, dicta, consilia, animos hostium intelligo, uideo

Licentia

Quam Græci Parrisiam uocant, et qua nos cum apud aliquos formidare debe-
remus, dicimus nostro iure. Sic Cic. Miramini Quirites, quod ab omnibus
uestræ rationes deserantur! quod se nemo uestri defensorem profiteatur! quod
causam uestram nemo sustineat! id tribuite uestræ culpæ: Quid enim est,
quare non omnes istam rem fugere, ac uitare debeant! recordamini quos
habueritis defensores, studia eorum uobis ante oculos proponite, deinde
omnium exitus considerate, tunc uobis uenient in mentem, ut verè
dicam, negligentia uestra, siuè ignauia, posterius illos omnes ante oculos
uestros trucidatos esse, inimicos eorum uestris suffragijs in Amplissimum locum
peruenisse, neq. hoc minus uenustum est, eo quod breuè sit, quod habet
alibi uos, P.C. grauè dictu est, sed dicendum tamen, uos, inquam Publ.
Sulpicium uita priuastis, quem cum uideretis magis morbo, quam Oratio-
ne se excusantem, hoc autem schema ualde triumphat in genere Demons-
tratiuo

Optatio

Est uehementis alicuius desiderij significatio, qua optamus aliquid quod
nobis, uel alijs prosit; Quia autem pluribus modis tu Poetis cum Orato-
ribus familiaris est: Ideo ineptum foret, si omnia uellemus afferre huiusce
figuræ usus exempla. Nobis tamen illud liceat uidere Virgilij tertio Æne-
adum sic canentis

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua, nos alia ex alijs in fata uocamur
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum,
Arua neq. Ausoniæ semper fugientia retro,

Quærendo effi-

Quærendo effigiem Xanti, Troiasque superbam,
Quam uestræ fecere manus, melioribus opto
Auspicijs, et quæ fuerint minus obuia Grais
Item Cic pro Murena: Dij faxint, ut meus Collega Vir fortiss.us ob Catilinæ
nefarium, sat votiniius armatus opprimat, aduertite huc etiam deprecatio=
nem spectare, qua aut diuinum, aut humanum auxilium imploramus, sic Luc.
Non pacem petimus Superi, date gentib. iram

Cominatio

Seu, ut alijs placet Admonitio est, qua nos aliquos de aliquo infortunio
uenturo monitos facimus. Per aptè Cic. pro Mil. n.o 70: Erit illud pro=
fectò tempus, et illucescet aliqd.o illa dies, cum tu salutaribus rebus tuis,
&c, ut uidistis, et Virgil. p.o Ænead.
At sperate Deos memores fandi, atq. nefandi
hæc omnia, ut uides, faciunt ad terrorem incutiendum.

Reticentia

Seu ut alij interruptio, quam Græci Aposiopesim appellant: hæc est, quæ
sermonem medium abrumpit, et suspensum relinquit: Videndus, ubi Nep=
tunus ira ingenti efferuescens in Æneadis post multa sic uerba scindi
Quos ego: sed motos præstat componere fluctus
Ad exprimendos animi affectus, motus, iram mirabilis est

Exclamatio

Definitur Orationis elatio, et contentio ad augendum reperta, quæ ue=
hementiori uoce rei magnitudinem magis exprimit. Apta etiam est ad plu=
rima exagerandam, ut uidere poteritis in Palatio Reginæ eloquentiæ
in suo cælo exercitat. 7.a puncto p.o, sic Cic: Secundo de Orat.: ò falla=
cem hominum spem, fragilemq. fortunam, et inanes nostras contentiones
quæ in medio spatio sæpe franguntur, et corruunt, &c.: et hic nolo uos la=
teat inter alias præcipuè species illa huiusce figuræ tam suauis, quæ
solet post singulas sententias breuem subnectere exclamationem. Sic
Tertu-

Tertullianus in Alex. cap. 50: Mutius dexteram suam liber in ara reliquit, facere aliquid in Castris felicius potuit, nihil fortius: O sublimitas animi! Empedocles totum se se catanensium Aetneis incendijs donavit: O uigor mentis! Aliqua Cartaginis conditrix se secundum Matrimonium dedit: O preconium castitatis! Regulus ne unus pro multis hostibus uiveret, toto corpore cruces patit.: O Virum fortem, et in captiuitate uictorem!

Acclamatio

Quam Greci Epiphonema appellant speciem non nullam exclamationis retinere uides. Est igit. rei narratę, uel approbatę summa acclamatio, aut expressio, solet autem exprimi his particulis adeò, tantum, usq. adeo, &c.; Vos ipsi potestis addire Iunonem iratam Romanos persequentem, et tali Epiphonema exclamantem

Tantę molis erat Romanam condere gentem!

Clarum est Epiphonema fieri per sententiam non nullam, qua superiora adnotans, quemadmodum Lucretius lib. p.o post exemplum Agamemnonis postquam filiam imolaverit

Tantum religio potuit suadere malorum!

Quid plura! tandem ad ultimum figurar. deuenimus genus ad eas scilicet, quę ad delectandum inuentę esse uidens, atq. ab antiquis artis nostrę Magistris subtiliùs excogitatę. Notes igitur, ut uobis tandem pateat, quod expetatis

Similitudo

Inter sententiar. figuras optima, pulcherrimaq. hęc esse uides, quippe quę ut Auctor ad Heren. lib. 4: Similitudo est, quę traducit ad rem quampiam ex re dispari, sed tamen simile, ut Virgil. p.o Aenead.: Qualis apes, &c. Varijs modis fieri potest similitudo uel ab exemplo, uel ab Fabula, uel à dispari, &c. Plurimum autem obtinet eligantię illa, quę plura rei membra, siue partes cum alia re cum ponit exem. e.g.: Quid aliud ira est, qua Librica fera, quę mugitu terret, dente lacerat, ungue decerpit! Aduertendum, quod duas potest habere

habere partes protasim, seu propositionem, apodosim, seu applicationem, quarum prima prolixius aliquando funditur, aliquando vero iuxta seculi genium breviter expedit, applicationem relinquens auditoribus, et varię sunt particulę, quę ad Apodosim transitum faciunt. Verum de his satis Pater de Gratijs

Descriptio

Hanc figuram quis satis super que poterit enarrare, cum ipsas rerum omnium debeat imagines exprimere perspicua, et dilucida cum gravitate, et expositione, unde ea, quę tractat videri potius, quam audiri debent. Ad istam adhibendam valebit interdum conspexisse Urbium expugnationes, fluvios, Camporum uberrimam faciem, Monstra, Theatra, Viridaria, tempestates, &c. Sed quid supervacaneum attexere exemplum unum, cum millia prope passim offendimus

Dialogismus

Nil aliud est, quam ficta personarum locutio, sive alios introducat Orator et sic ad invicem alloquans, sive se ipsum inducat cum alijs verba facientem in Dialogi morem, ut Cic. in Pisonem ad eam Orationis partem, qua privata flagitia enarrat: Adite etiam, si placet in Hippolitum Senec. Tragicum, quam figuram longe sane prosequitur.

Apostrophe

Est conversio sermonis ad Deum, vel homines, vel res sensu carentes. Quomodocumque adhibeatur semper eadem, scilicet iucundissima semper ad ciendos effectus valde necessaria. Quam profuerit vide, si placet apud Cic. pro Deiotaro. Obsecro Ca: Cesar repete temporis illius memoriam, pone illum ante oculos diem, vultus hominum te intuentium, atque admirantium recordare: Scientiarum pondus exquirit coniunctam cum brevitate dicendi elegantiam Virgil. pariter VI. Ęneid. cum narrationem convertit ad quosdam Romanos rebus preclare gestis claros, ac virtutibus insignes

Antisopoge

Figura est, quę parva parvis compensat, vel maiora maioribus, vel minora

minori-

Minoribus. Unde erudite D. Hieronymus ad Elio. scribens tali utitur artificio: Paupertatem times? sed beatos Pauperes ut supra; sic diserte Causinus in Lib. de Iure Ioseph. qui inscribit. Gl'huomini di stato: Hanc figuram pulcherrimè, et pro suo more rectè prosequit. Claud. in commendatione Stiliconis, ubi ostendit nullu esse, licet singulari uirtute preditus, aliqua uitij labe temeratu

. . . etenim mortalibus ex quo
Tellus cepta coli nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa Viro: quem uultus honestat
Dedecorant mors: animus quel pulchrior ornat, &c

Prosopopeia

Precipuus eloquentię splendor, qui toti Orationi lumen adiungit, et figura est inter uenustiores pulcherrima cu ualeat in suadendo, querendo, obiurgando, laudando, miserando: Fit autem quotiescunq. persona effingimus, ubi sermonem rebus mutis, et sensu expertib. adaptamus, uel quando personas iā obrutas, ac sepultas, Manes scilicet, tanquam e morte ad uitam loquentes introducimus, uiuacis.um autem extat exemplum apud Tullium cuius initium est, si nunc Brutus reuiuesceret, et hic ante pedes nostros adesset, non ne hac uteret. Orationē: Ego Reges eieci, uos Tirannos introducitis: ego libertatem, quę non erat, peperi, uos partā seruare non uultis, ego capitis mei periculo Patriam liberaui, uos Patres liberi esse non uultis

Hydrologia

Figura est, qua non uoce tamen, sed et partes, et membra rebus sensu carentibus tribuimus; Ut si quis cu poetis frequenter Plantes, flumina, uitia uirtutes, &c cu partibus suis describendo exhiberet. Hoc uidemus inter ceteros maximè apud Claud. in fine primę Panegerys, ubi Tiberim inducit uerba habentem

Etopeia

Etopeia

Omnium postrema, sed quę et ipsa suum detinet primum decus in Orationibus, et si prosopopeia in personas effingit eisq. sermonem tribuit alienos ista effectus, qualitates, et dictatmitas, motus cogitationesq. alicuius introductę personę interdum exprimit; Unde in hac semel prę ceteris mirabiliter Orator triumphabit, dum erudite magis ipse verbor. voce, quam uiuor. Pictor color. penicillo Rullum ita depinxit: Ia designatus alio uultu, alio uocis sono alio incessu esse meditabatur, uestitu obsoletiore, corpore incultu, & horrido, capillatior quam ante, barbato maiore, ut oculis, et aspectu denunciare omnibus uim Tribunitiam, et minitari Reipubl. uideretur, sed quid plura.

Quę hucusq. diximus de Tropis, nec non de uerbor., sententiar.q. ornam.to, et uenustate, plura sanè sunt quę hactenus pertractauimus, uerum si plura desideratis, cum perotium datum erit monum.ta maiora euoluite; Nos enim ipsa tum Latinor., tum grecor. pugna, ac strepitus in tanta rer. materia deterret: imo Cic. ipse, ut acute, et diligenter adnotat Quintil: Lib. 9. cap. 3.º, quę semel dixerit, deinde repudiare uides, cum figuras in Orat. non nullas scripto, alibi postea, ubi opus esset easdem recensere, silentio pretereat. Satis igit. sit ea inspexisse eloquentię sydera, quor. lucem maximam si in Orationem inspexeris, scito eiusdem te soles futurum: Hoc enim uellem pro meis uiribus assequi, cum Orator non sim, uos Oratores efficere. Hoc exoptari, ut in iesum, à quo exigui laboris, si opus consideramus principium duximus, laudibus emeritis referam exodium, nihil enim fortasse optabilius, et charius in toto tractu potest uobis contingere, quam Finis

Articulus Quartus

De Periodo

Periodus, per quam superbè Oratio, ueluti uotis triumphum agit ea est, quam tanti fecere Veteres, ut Trasimaco, quia modulatam dicendi elegan-

elegantia auribus conformaret supremã gloriæ palmã iure contulerint. Vidit ipse quã male audiret Pendens Oratio, quæ sic ab Aristole 3. Rhetoricor. cap. 9. describitur: Dico autem pendentem, quæ nullum per se habet exitum nisi res, quæ dicit. ad exitum pervenire. Quare intelligens, quam attentè, et quam suauiter audiretur Lyrica Poesis, quæ sylabar. numero effrenabas, et dicendi morulis secum ipse consultius egit, & Harmonicã ueluti eloquentiã fecit Strofis, & Antistrofis cum similem Lyricor., qua aposite animos mulceret hominu, quod feliciter ipsi cessit, qui tanquam anguis caput in cauda uerbum scilicet in fine dictionis inuolueret, et occultaret, unde tacita quædã, et non ijs temporibus cognita suauis uis hærentes animos detineret, cui dicendi generi Periodi nomen attribuit, uerbor. scilicet in se mira ratione reuersus Reditus, ad Trasimadi commendationẽ habes uerba Aristotelis 3.o Rhet. cap. 8. Restat etiam Pæan, quo quasi secretò à Trasimaco inuento incipientes utebantur, sed nesciebant dicere quid esset. Hanc Periodum deinde Georgius Leontinus diligentiori cura (ea enim est rerum conditio, ut semper magis excrescant, et quid addas inuentis) elimauit, et ad suauitatem quamdã reuocauit, strictim ueluti magis coarctata Periodus, quæ clausulis quibusdã eximijs constaret, quas membra dicimus, ut infra. Et, ut Aristotel. 3.o Rhetoricor. cap.e 9.: ex membris constare dicit Periodus, cum Oratio absoluta sit, & distincta, facilisq. respiratione. Adde Cic., qui hoc uibrato dicendi genere tamẽ alium Verri, et Antonio uulnus inflixit. Iucundior est Periodus, si est Articulis, Membrisq. distincta, quam si continuata, et producta, quia suas respirationes habet, et mens respira cum Oratore, deinde magis dilucida est, qui memoria facilius tenetur, et magis patet. Hinc intelligimus, illis temporibus eloquentiam incepise non Asiatica dignitate, ac grauitate, sed

Spar-

Spartanorum more sucintis, ueluti uestibus incessisse, atq. in factum, ut cum sueuerit sceptrum pro decore tractare, tela iecerit: Vidimus pro Deiotaro, quibus uerbis absoluerit Orationem, et quam subita se dicendi elegantia Cesaris aspectu se liberauerit: Quorum alterum optare illorum crudelitatis est, alterum conseruare clementie tue; et alibi diuinitus: si quid obtigerit, equo animo paratoq. moriar, neque enim potest accedere turpis mors forti Viro, neque imatura Consulari, neq. misera Sapienti, cui si accedat breue aliquod acumen, prope mirabilis est, ut si dicerem cum Isocrate: sepius accidit, ut imprudentes feliciter, prudentes infeliciter agant; Addam iocum, quo sese non bene iocose consultanat Galba, & Libon, primo dixit Li: Qd. tandem Galba de Triclinio tuo exhibis, cui Galba fronte subirata, et complexa, appositeq. qd. tu de Cubiculo alieno. Ad concinnitatem Periodi fuit Paromiosis, qd. sibi uerba concisa uel in principio, uel in fine suaui quadam harmonia respondent, sic apud Cestium: Nos sine delicijs educamur, sine Muris uiuimus, sine uita uincimus. Hereat uestris animis suauissimum dictum illud Anasandrine perpetuo memorandum: Dignum est mori, dum nones dignus mori. Ceterum inter figuras, per quas Periodus celebratur subiectio est. Vultis ne presenti aptius exemplum: Quid Adam infelix Famem! sed surdum est Litus: taceam! sed urget me dolor: uiuam! sed exul sum: moriar! sed insepulta: Non uiue Patria datur, nec mortue quies, Paranomasia itidem, sed maxime in iocis, ut illud, magis Lyeo, quam Lyceo, sed de ijs multis multa infra, cum hec tanquam in communi dicta sint.

Articulus Quintus
De Periodi definitione, et partibus

Facile ex dictis potuistis intelligere mihi semper probatam Aristotelis in hac re definitionem 3.° Rhetoricorum traditam, et ueluti Minerue quodam calculo notatam: Periodus est Dictio, seu Compositio siue Oratio, que ipsa perse principium habet, ac finem, ac Magnitudinem, que uno facile intu=

intuitu spectari possit, relictis ceteror. alijs, quas liceat uidere à Gerardo Joanne Vossio lib 4. cap. 3º collectas, ab ipsoq. ad examen reuocatas. Et uerò in Periodo non ne modum seruamus, de uidemus, ne aliquid ultra apponamus, quod ueluti uno intuitu possit occurrere! cum hoc in Orat. serbente minimè soleat accidere, ut supra. Quis optimam non duxerit Periodum, cum semel audierit illud pro Cecinna! Sexti Clutij impudentię, quantum in ui facienda cessit audacia. Quam ut meliori ratione intelligatis de ipsius Periodi partibus disserendum, postquam admonuero, ne ad Periodi rotunditatem superflua ingerantur, inania quasi complementa numeror., quem scopulum indocti Juuenes offendunt

Ut numeris omnibus absoluti quodadmodum difficile est, euadatis, sciendum de Periodi partibus, quę duę enumerant. colon, seu membrum, altera coma, seu incisum, uel articulus. Primi sic definitionem accipe: Est Oratio sensus perfecti, sed suspensi è toto corpore Periodi abrupta: sit exemplum: Antequam P. C. dicam ea, quę hoc tempore dicenda arbitror: si ulterius non progrederis iam habes sensum perfectum quidem, sed suspensum, quod membrum ut perfectissimum absoluas adenda altera pars: exponam breuiter consilium profectionis, et euersionis meę; Articulus uerò siue Coma, uel Incisum est qdº singula uerba interuallis distinguimus, ut minis, uerbis, flagris Juuenes deterrere, unde sicuti membrum conficit Periodum sicà coma, uel incisis ipsum conficit. alijdº. Hinc uaria Periodor. genera non nulla Oratoria, non nulla Historica, non nulla simplicia, non nulla composita, non nulla magna, parua, mediocris, ex quibus omnibus probatissima est, quę Magnę nomen obtinet, et est quę quadrata etiam uocat., cuius generis est exemplum supra allatum pro Cecinna, hinc periodicè loqui dicimus. Sunt enim et alię Periodi, ut Trimembris, cum tria membra contineat, scilicet protaseos, uel apodoseos partes u. g.: Etenim si ueritate amicitia, fide societas, pietate propin-

propinquitas colis, en protasim, necesse est iste, qui amicu, sociu, affinem fama, et fortunis spoliare conatus est, ecce apodosim, uanu se, et perfidiosum, et impiu esse fatearis; altera qui bimembris, ut quid tam est admirabile, quam ex infinita multitudine hominu existere unu, qui id, quod omnibus naturâ sit datu, uel solus, uel cu paucis facere possit.

Qui verò huius artis sunt maximoperè studiosi, et diligentiores tradunt colon posse esse simplex aliqd., interdu compositum, simplex erit u.g.: Cur in tempestiuis Consilijs nos oppugnas? sic enim nullis constat incisis, compositum, cum incisis formatur u.g. obsequiu amicos, ueritas odiu parit. Membri quantitas est quæ ex septima ad decimam usque septimam protendit, alia cu ex duodecima ad decimam usq. septima, atq. adeo octauam, et tunc mediocris est, oblonga uerò, cum tunc numeru excedit, sic autem hæc quantitas adhibetur, ut prima Narrationibus, acri dictioni, Causis minorib., secunda uerò Panegyricis, et causis grauioribus inseruit. De incisis uerò hæc breuiter accipe: Dico esse aliqd. esse partes Periodi, cum ex ipsis componit membru: Possunt enim ex se ipsis sententia facere, et tunc sunt extra Periodu. Huius mensura assignat à Fabio, et est cu à duobus ad septe syllabas protendit, nam maior numerus colon constituit, ut inuî. Aduertite optimè cu incisis misceri membra, ut pro Archia n.o 16: Hæc studia adolescentia alunt, senectute oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugiu, ac solatiu præbent, delectant Domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscu, peregrinant, rusticant. Hic uerò obseruandum est quam suaui nexu simul coniungant membru, et coma, ad quod præstandu singulari diligentia, ac cura opus est

Articulus Sextus

De Numero, et Mixtura Pedum

Numerus huc pedum uenit, per quos triumphans gradit eloquentia; Non ij autem, quibus citato uesuti gressu, ut plurimum fert equestris Oratio, de quibus dictum puto in Poeticis. Qui diligenti studio hunc pedum numerum consideravit, et mensuram hic est Dionysius Alicarnaseus inter Rhetores prestantiss.^us Eos pedes probans, et enumerans

Primus est Spond. aptus, et grauis ex duab. l. l. constans

Iambus non omninò est ignarus, sed humili sermoni aptus b. l.

Trochæus molior est, et humilior l. b.

Pyrrichius est tenuis, et planè demissus b b.

Molossus plane grauis ex tribus l. l. l., ut errores

Amphibracus b. l. b, ut amore

Anapestus ad affectus factus l. l. b.

Dactylus optimus, et heroicus aptus reb. amplioris. l. b b.

Creticus, siue Amphimacer non est repudiandus l. b. l.

Hiperbacchius, b. l. l.

Dochimus pes est singularis b. l. l. b. l.

Dichoreus, ut sempiternus aptus ad clausulas l. b. l. b.

Peon itidem primus, et quartus ille l. b b. b.

Secundus ex tribus breuibus, quarta l.

Neq. satis est pedes adnotare: adendum insuper quinam sint, per quos facilè principium, commodè medium, plane finis excurrat. Periodus enim ità incipit, ut obseruet quomodo potest procedere, et postremo desistere. Hinc in principio pedes non nulli numerant, et sunt Creticus, Peon, Dochimus, Molossus, Anapestus, in medio collocandi Peon primus, et quartus, in fine uerò Creticus, et Dicoreus, Choreus, et Molossus, Dochimus, Creticus dupplex, Dactylus, Iambus, et tres spondei, ut uictoriæ illustratæ sunt

Illud

Illud autem aduertendum occurrit, ut uideatis, ne dum uitium unum effugere curatis, alterum offendatis contrarium, sic enim miseranda prope modum infelicitate Labor insumitur, et cum Hilaris esse deberet Oratio, squallet, et torpet, sic nimis cultus inelegantem sermonem reddit, cum aliquid omninò simile sua arte contigit Callimaco nimis affectatę diligentię statuario, cum studiosâ satis curâ suor. operum uenustatem, decusq. coinquinaret. Auribus igit. accomodanda pedum quantitas, et delectus, et suaui quadam mixtura Orationem intexere, ipsi namq. met nostrę artis Doctores unum docuerunt, et alterum effecerunt: Sic Aristoteli in quibusdam Cicero aduersatur, Ciceroni Quintilianus. Inuenimus apud Hieronymum Sophistam repertos in Orationibus Isocratis triginta uersus, in illis pariter Ciceronis non semel, et Historicor. Princeps Liuius non ne diuina Historiar. suar. monum.ta ab hexametro incohauit, ut tanquam liberiori pede in tantam Maiestatem rer. amplitudinem, ac copiam ecurreret: Facturus ne operepretium, &c. Quid inde? necesse ne est tanta in numeris cura? dicam liberè in hac re quod sentio: Non esset absre, neq. inconsultò factum, primo Orationem pedibus atuescere, quo tandem suetis auribus, facilè ex se ueniat grauis, concinna, expurgata, expressa, ordinata elocutio. Ad quod prestandum facilis uia probatissimor. Scriptorum Tullij maximè lectio est; Nunquam enim credere probatos Oratores de quibuscunq. litteris scripturos cogitare, cum facilè diu peritis ultrò obueniant. Hęc igit. breuiter addenda, ut sciatis quonamodo tractanda Oratio. Quotiescunq. uehementiori spiritu, atque acriter tenebimur dicere, membratim, et cesim dicemus: Cum res asperę exponendę aspero quodam pedum numero utemur, quo possimus audientium animos inleorescere, cum adornatum loquimur, non ad Narrationem laxatis quasi nodis id prestabimus. Proemia uerò Loca communia, et amplificationes, periodicè ut plurimum exponendę:

Orat:

Oratio Austera, si redarguendum est, fusa, si commendandum, in Epilogis verò pollet mixta elocutio, quod obseruamus in Orationib. Ciceronianis. Dispar verò ratio historicor; ipsos enim, nec finiti numeri, nec Orbis, vel contextus decet verbor; . Omnia enim illor; membra conexa sunt, quoniam lubrica est, et fluit historica dictio, et ut adnotat Causinus, est ut homines, qui manibus inuicem aprehensis gradum firmant continent, & continentur. Quo ad Demonstratiuum verò, cum Eloquentiam debeat magnificè explicare Orator, fusior, & liberior esse debet Oratio. In Judiciali verò, ut materia rer; postulat varianda Eloqutio. Sed age videamus quomodo posit amplificari hęc Periodus, quę in Eloquentia tam necessario exigitur.

Articulus Septimus

Quomodo implenda Periodus

Orbem esse Periodum satis superque innuimus, circumlocutione itidem verbor; utendum qua ubertas ipsor; contorqueatur, rotabitur igitur Orbis hic perbellè dumodò benè teneantur modi quinque, quos licet adnotare

Primò Definitio

Secundò Enumeratio

Tertiò Interpretatio

Quartò Congeries, siue Incrementum

Quintò Adiuncta, siuè Circumstantię

Qua ratione id prestare possimus per Definitionem adeundus Cicero in Miloniana, qui ne breuiter expediret sese, cum posit dicere vidimus Curiam incendi, maluit sic rer; Magnitudinem, verbor; magnitudine exponere Curiam definiens: vidimus Templum Sanctitatis, amplitudinis mentis, consilij Publici, caput Urbis horum Socior;, Portum omnium gentium, sedem ab vniuerso Pop: Rom: concessam uni Ordini inflammari, exscindi, funestari. Proh mira incendij species

Partium Enu:

Partiu enumerationem ipse Cicero nos docet, cum ex Ironia posset dicere, Omnes Clodij Mortem lugent: Maluit sic ipsius funus uerbis tanquã fictis lacrymis prosequi: Publij Clodij mortem æquo animo nemo ferre potest, luget senatus, mæret Equestris Ordo, tota Ciuitas confecta senio est, squallent Municipia, afflictantur Coloniæ, Agri denique ipsi tam beneficũ tam salutarem, tã mansuetũ Ciuẽ desiderant: Videte quã mira elegantia omnia deduxit

Interpretationis modus Periodũ circumuestit cum Oratio protrahitur, et quod semel uerbo uno dictũ est, idẽ alijs uerbis idẽ significantibus repetimus u.g. An uerò Iudices uos soli ignoratis, uos hospites in hac Vrbe uersamini, uestræ peregrinantur aures, neque in hoc peruagato sermone Ciuitatis peruagas. &c. Item Cicero 2.a Philippica: Tu ingredi illã Domũ ausus es! Tu illud sanctissimum limen intrare! Tu illarum Ædiũ Dijs Penatibus os illud importunissimum ostendere! Hic admoneo, ne uerborum congeries sit tanquã è triuio absumpta

Incrementi, siue congeriei exemplũ dat illud euulgatũ in Scholis: abijt, excessit, erupit, euasit: Quæ uerba, ut millies poteritis alijs in locis Ciceronis obseruare, cum nihil ad interpretationẽ, maximè ad amplificationem conducunt

Restant adiuncta, quæ satis non potest dici, quàm Maiestatem inuent Eloquentiæ; Vnde uelim ut à uobis maximâ curâ obseruarentur adiuncta, quæ septẽ enumerantur: Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando, sed cũ facilè harum uocum explanationẽ alias habueritis, ideò libenter prætereo, nõ enim rerum cura, et ratio facit nos temporis usura male abutentes. Huius, quæ tanquã generaliter præcepta tradidimus, nunc uidenda necessariò quodammodò Elocutionis proprietas, ut ait Cicero

Articulus Octauus

De Charactere

Difficile est hac nostra tempestate asserere, quod extra dubiũ fuit, apud Græcos Veteres, quod talis hominibus fuerit Oratio, qualis uita nulla

nulla enim expectatione opus esset, ut iudiciu de Viro faceremus, cum
& nos satis possemus de illius Oratione adiudicare. Sanè repetendum nobis esset cum uetere Philosopho unicuique propalatu illud: Loquere, ut te uideam, si ipsius ingenij Virtutem uellemus decernere. dixit Cicero in Oratore, Oratorem nihil aliud esse, quam summum Populo uideri, hoc autem praestare nequit Orator nisi ipsi uerba faciat. Hinc uarij dicendi modi, scilicet Caracteris genera, seu Styli ratio multiplex: Primò sublimis est, quo mouemus, Mediocris, quo delectamus, Infimus quo docemus, sic humilia subtiliter, Magna grauiter, Mediocria temperatè dicimus. Deindè pro uaria generu differentia, Stylus quoque induit uarietatem, modò enim pro Demonstratiuo facit, modò Deliberatiuo inseruit, aliquando in Iudiciali triumphat.

Sed cum praecipuè in Demonstratiuo Stylus sublimis, et ingeniosus elucescat hinc non nulla dicenda de Stylo nouo, quem recentiores, ut plurimu huic generi adscribunt, malè iudicantes acuminatu Stylum nostris temporibus fuisse inuentum. Floruit hic dicendi modus non apud Graecos, non antiquis.^{mis} temporu, quibus candiori, et liberiori profluentis naturae impetu ferri uidebat. Oratio, sed Sophistar. tempestate, ea scilicet cum plurimi Philosophiae scientijs eruditi, et Eloquentiae praeceptis instructi, dicta quaedam aurea ex Lycei, et Academiae hausta fontib. uibratis elegantijs, atque expeditis sententijs enumerabant, fortassè credentes se auro gemmas includere. Cicero ad quaecumq. eloquentiae genera, ac dicendi uarietates diuinè accommodatus, hanc scribendi rationem non facilè sectatus est, ac non nisi rarò adhibuit, ut uidebimus, nunquam acuminibus usus est nisi grauibus, et modestis. Attamen lasciuientis aetatis genio aliquo indulgendu est, quapropter quibus modis id facilè praestari possit de industria uelis ut plurimu fieri poterit contractis ostendemus: Scio enim maximè Iuuenibus hoc Styli genus esse comendatu, sed pro nunquam satis solida comendata Eloquentia

Stylus

Stylus igitur acuminatus, seu Orationis acumen splendor erit arte elaboratus, nisi mauis dicere: Obseruatio admirabilis breui verbor: ambitu conclusa, quod prestamus

Primò, si uerba ità disponamus, ut mutuo se se respiciant, ac ordinem habeant elegantissimas. Liceat admirari Euius artificij rationes passim in explicationib. sed nulla sanè accomodata magis offendemus, quam illam Ciceronis pro Fonteio, cuius se sororem fingit oratione, ac ità ludit: Prospicite Quirites, ne ignis ille ęternus nocturnis Fontei laborib. uigilijsq. seruatus, sacerdotis ueste lacrymis extinctus esse dicatur; quam Orationem habuit Anno Vrbis conditę 684 Ætatis suę 38

Secundò cum rerum materiam, de qua dicimus medullitus introspicimus, nec non naturam, causas, effectus, Adiuncta, ea denique, quę rem aliquo modo decent, sic: Infelices Aquilę inuiso numine auaritiam secutę Imperatorem inter barbarorum tela in plumes irrisę ceciderunt; et de Lilio cum plerunque turpitudo ruborem afferat dixit eleganter non nullus, nihil haberet, unde erubesceret: Extat etiam illud Asij Seueri de Ferrando, quod nescio, an alibi uideritis, quem Principem miro lusu acupungit

Ex ferro nomen tibi sit licet, aurea condis
Secula nam sub te Principe nemo metet.

Illud Martialis, qui Domitiani tempestate Titi fratris floruit anno post Christum 82 sanè mirabile, qui Libertum quemdam Equitem Romanum factum obiurgauit, cum annulum pręgrandem gestaret dixit

Annulus iste tuus fuerat modo cruribus aptus

Cicero de Metelli pręceptore, qui cognomen Corui referebat, dixit: Hic Coruus te uolare potius docuit, quam loqui.

Tertiò coniugatis nihil aptius ad acumina inuenienda, cuius rei ueritatem indicat illud sanè elegantis ingenij Epigramma ad Pub. Virgilij nomen accomodatum sic:

Quę non te, Publi, famę tuba publicat Orbi

Publica! non ne tuus bibliotheca Liber,
Sunt et Virgiliç tu sidere pulchrior omni
Virgili, et Eloquij tu Mare dulce Maro.

Quartò Paranomasia mirabilis, nec refert hic plura exempla recensere, cum facile sit eadem adinuenire passim in Auctoribus: Illud euulgatum ex Philippica tertia iuuat adducere, quam habuit iisdem anno superius adnotato Caio Iulio Cesare, & M. Antonio Consulibus: In cur eius Magister ex Aratore Orator factus sit, et de quibusdam numerorum Censoribus, qui priusquam numeris, uino liberè se committebant, dixit quidam: Non iam Computores sunt, sed Compotatores. Et Cornificius: Damus operam, ne P. C., Patres Circumscripti uideatis: Adducendum Sanazarij Disticon, quo fratrem quemdam iucundum nomine colonestauit, cum duarum Pontium supra regale flumen auctor extitisset

Iucundus geminum imposuit tibi sequana Pontem
Hunc tu iure potes dicere Pontificem

solebat enim antiquitùs Pontifex dici à Sublicio Ponto faciendo. At ut uidentis, ualdè cauendum est, ne facilè incidamus in nugas pueriles, quod solet frequenterè accidere.

Quintò occurrit Equiuocum singulare inuentum ad acumina eruenda, et ut adnotat Cicero secundo de Orat. laudabile, cum feriat simul, et oblectet, ut patet in illo de Coco, qui optimo iure Magistratum adeptus erat; sic Equiuocum habemus supra Magistratum quemdam furem, qui tamen Patre, et Filijs carebat. Tu cares Nominatiuo, quia nullius es nominis, Genitiuo, quia sine Liberis, Datiuo, quia nihil donas, Accusatiuo, quia nemo te accusat, Vocatiuo, quia nemo te inuitat, Ablatiuo tantum non cares: et Paulus secundus Pontifex cum Gallis Rhodiorum prefecturam daturus Hispanis, dixit: Gallicus morbus Hispano medico est curandus. Legite Martialem, qui quemdam Romanum diuitem, sed luxui deditum, et ignarum arguit, cum per Vrbem ab octo Seruis ueheretur; Et filius, qui Patri suo cum Presbiter factus esset

esset, sacrum facienti inserviret, in Confiteor dixit, et tibi Pater; Et Scurra quidam scitè Alexandro, qui vellet currere Olimpia, dixit curre Matrem tuam; Sed ne hę nugę inutiliter nos moreant de Æquivoco satis, varia enim possunt occurrere legenti, quę enim ad fructum, et ad voluntatem plerumq. inserviunt

Sexto facit Antitesis, sivè collatio predicati cum subiecto, qua acuminis forma nihil nostra tempestate frequentius; ut de ijs, qui virginitatem igne defenderunt

Mutarunt elementa fidem, prius igne calebant

Omnia, nunc ipso frigus ab igne manat.

Et figuram hanc ipse Satiricorum Princeps mirabiliter commendat, qui ijs ipsis temporibus floruit, ac Martiales anno 83 post Christum

. . . qui crimine rasis

Librat, in Antitesis doctas posuisse figuras

Laudas.

sanè et hanc lusus omnis in omnibus et qui facilè audiat: ut Trario declamatori clariss.^mo^ occinit Senatus, cum dixit inter sepulchra monum.^ta^ sunt. Et quidam amico suo, ut falleret, Volo omnia tua mea sint, et sint mea omnia tua; et de Argo mortuo Poeta

. . centumq; oculos nox occupat una.

Plinius itidem in Panegeri ad Traianum anno post Christum 101 habita in Senatu ipso Imperatore absente: Neq. enim satis amavit bonos Princeps, qui malos non oderit et Orator noster: In fuga fœda mors est, in victoria gloriosa. Nec Seneca supremum fatum sui discipuli Neronis imperio anno 65 passus abhorruit, qui gravis est, dixit, Crimine alieno exulas tuo redibis. Ovidius, qui in Ponto vitam exul posuit annum circa Christi 18. Ire vagas quercus, et flumina stare coegi

Addam ingeniosum illud de filio in ventre Matris mortuo, et cum eo sepulto

Sic tumu-

Sic tumulusq. Domusq. fuit tibi Mater, et ante
Quam natus poteras esse sepultus eras.

Liceat, ut cetera exempla brevitatis gratia prætercas cum facillimè occurrant, hoc de amore Tetrasticon addere

Lex exlex, lux atra, uia inuia, serua potestas
Irequieta quies, et malè fida fides
Turpis honos, pietasq. ferox, odiosa uoluptas
Pax discors, status mobilis, egra salus.

Aduerto autem, quod acumen hoc non habet per solam simplicem Antitesim, siuè melius Antitesis non semper ex contrarijs simpliciter constat; sed aliquando ex disparatis, ut loquunt. Logici. Si enim noctem, et diem nominabo dicam duo contraria, non si cum Virgilio

Mulcentem Tigres, et agentem in carmina quercus

mulcere enim, et agere contraria non sunt licet uideant.

Septimò addenda diuisio Nominis, licet rarò posit contingere, hæc si cadere potest, non inuenustè adauget splendorem, uenustatemq. exhibet, ut u. g. si nomen Leonardum per diuisionem quis acciperet, primo Leo nobis occurreret, deindè Nardus: Per primum fortitudinem, per secundum uerò odorem significamus. Quæ solent Orationem mirificè collustrare hæc sunt, quibus aptè utendum est, quo enim aliquid usitatius, et communius, eò difficilius, potest enim Stylus is esse, ut Orationi minimè conueniat: non enim decet concisum adhibere, ubi rotundus exigit, neque demissus conuenit, unde periodicus expectat: Hi autem modi Demonstratiuo præcipuè inseruiunt, uel ijs in locis, quibus uti uolumus ad delectationem, ad sales, ad lusus, ab his enim abhorrent res graues, et amplissimæ, non enim in iscis ludendum, sed decertandum. Periodorum igit. numerus sonantior volet, sententiarum Maiestas reluceat, et affectuum æstus rapidior deuoluat, tonat fulgur, et fulminat

Articulus Nonus

Articulus Nonus
De Stylo Medioeri, et Infimo

Qui sibi uiam mediam eligit, prudenter facit, licet haud facilè sit ad alterutram non declinare: hoc euenit in Oratione, siue styli mediocris genere; Cum enim aliquid euitare uolumus plerumq. in contrarium occurrimus. Hoc Styli genus ab Viro illustri et euulgato inuentum est ab Trasimaco scilicet Calcedonio, hoc enim ipse inchoauit. Sequuti sunt non uulgaris notę Scriptores, et Oratores, Plato deindè, Isocrates, qui duo meliori forma elimarunt, postremò uerò Demosthenes absoluit. In ipso uerborum desiderat., sententiarumq. grauitas, Eę enim uirtutes grauiorem decent eloquentiam, neque subtilem, uel tenuem admodum, sed facetam potius, florentemque dictionem requirit, quare inter utrumque mediocres sententias, lectiori sermone dessignat, figurarum concinna, ac intra fines magis, quam perpolita uarietate, ac copia gaudet. Dicam uerius, ac breuius cum Tullio de Orat. de hoc Stylo: est interiectus intermedius, et quasi intemperatus, nec acumine posterioris, nec fulmine utens superioris, uicinus amborum, in neutro excellens, utriusq. particeps, uel utriusq., si uerum quęrimus, potius expers. Vides imaginem, et faciem styli Mediocris, non ità facilè ipsum sermone complecti. Non enim sententiarum numen, leporum splendorem, dicendi Veneres, fabularum geritiam, parabullarum uarietatem, similitudinis proprietatem recusat, sed omnia moderatè: Certè crebius, quam humile, uerecundius, quam grande genus

Quemadmodum in rebus paruis relucet elegantia, sic in Oratione stylus infimus, quem tenuem, et attenuatum uocat Carnificius, et quem deductum nos appellare possemus cum Virgilio, ut est Macrob. lib. 6. Saturnalium cap. 4 qui in Ecl. Deductum carmen dixit pro tenui; Veteres enim Deducere dicebant pro demittere, quo in genere ex-

re excellens Lisias quidam fuit adiudicatus, ut ex Alicarnensi. Ceterum stylum infimum uerecundior usus decet Troporum, & Schematum, sed tamen à quibusdam abhorret, ut Apostrophe Prosopopeia, nimia concitata Exclamatione, et similibus, amandantur uocalium longarum concursus, et Diphthongorum, licet ut Ermogeni, ac Tullio placet non perpendendae tanta cura atque industria uoces omnes in puritate. Amat sententiarum acumen, ac figuram eam nempe, ut inquit Cornificius, quae demissa est usque ad usitatissimam puri sermonis consuetudinem. Obseruandus in eadem uerborum significatione, qua moderatione usus est pro uarietate carminis Virgilius de Plantis noxijs in Georgicis maluit dicere dominari, quam nasci

Infelix Lolium, et steriles dominantur Auenae

e contra uerò in Bucolicis Egl. 5. nasci potius quam dominari

Infelix Lolium, et steriles nascuntur Auenae

Pro summorum Scriptorum mira diligentia! et quam quis duceret! adeo etiam in rebus eximijs summi uiri. Placuit Demetrio huius caractheris quatuor praecipuas uirtutes assignare Proprietatem, quam Vossius lib. 6. cap. 5 § 3. Puritatem potius maluit appellare, Perspicuitatem Euidentiam, & Probabilitatem, quarum tamen non nullas ceteris quoque styli generibus conuenire certo scimus. In Epistolis, mutuisque hominum consuetudinibus, ac colloquijs occurrit humilem enim, ac familiarem dicendi usum requirunt. Plura alia de styli discrimine dici possunt, sed dicam ego de hac re, quod habet Salustius de Cartagine: Silere melius puto, quam pauca dicere. Quemadmodum igitur uirtutem non assequimur tantum concinnitate, sed etiam uitiorum fuga, ideo notandus

Articulus Decimus

De Stylo Vitioso

Quemadmodum uirtus est uirtutes consectari, ita maior uirtus meo quidem

uitiosa

iudicio uitium fugere. Quare hic observet, qui eloquentiæ puritatem amat, ne inelegantias, aut impuritatem amplectatur. Data igitur opera, post virtutes uitia subdam, ut illas sequi, hæc euitare commodè possitis. Et primò non ne risum excitant quidam magni nominis, si famam occupare credunt, dum stylo quodam inflato ac pertumido uti solent, industria comparato. Hi mihi uidentur de Acarnanum gente, de qua Aristophanes in quadam Fabula refert: In furno assos Boues coquere pro Panibus, uel Medori Thracum Regi, de quo in Libris habemus ipsum in mala Bouem integrum gestasse, non placet Eloquentia tumens in decore, ut quidam etiam ex hominibus, qui sic incedentes aspernantur, preterea decidit tumor ille Orationis, nec se se potest diu sustentare Ranæ adinstar in Apologo, quæ tumefacta Bouis altitudinem coæquare desiderans crepuit

Quare tria statuo Orationis genus; Aliud cum Oratio uerbis tantum, aliud cum sensibus, aliud cum uerbis, et sensibus intumescit, atque in Phaleratas ueluti nugas præceps abripitur.

Quæ autem præcipuè tam euitandum uitium creent dicendum, uerba ex se ipsa noua, prisca, uel nimis translata. Sic dixit non nullus, ut Virginem significaret, quæ manebat, et Virum expectabat, expectatiueram. Idem nequeo nisi ad risum uestrum potius Aristophani uersus deducere, qui sunt

Olæ, Succidiæ, Cartilagineæ Mustelinarum

Caluariarum Reliquiæ, auí cum intrito

Laser melle interfuso

Motacillæ, Merulæ, Columbæ

Gallorum capitula Motacillarum

Columbarum, Leporum inspersa una cum alis

Sed non est exigui temporis tam grandia hic inde colligere. Addam igitur quod arceant, et nimis excelsi sensus, & audaces translationes

quæ duo

quę duo Cacozeliã ut plurimum pariunt, scilicet, cũ prauas affectationes Orationis uitiosè ex errore imitamur, quemadmodum fortassè audieritis aliquem dicentem, ac prędicantem Solem Cęli Agricolas, Æthereos agros arantem, sidera serentes

Vitium itidem faceremus, si ad grandia quędam exprimenda, ut occurrit, uerbis nimis grandibus uteremur, in quos est Satyricus

Proicit ampulas, et sexquipedalia uerba

Vitanda pariter, & summa cura Humilitas, quam consequimur dum enixè ad scrupulum nimis uerba, et sensus reuocare uolumus; Nam hęc contrahitur uel per sensus, et sensuum exilitatem, uel per uerborum contemptum. Per sensuum exilitatem euitare uoluit Emilianus in Encomium Eusebię Imperatricis miro propemodum artificio, et elegantia, cum diceret se adeò ineptum non esse, ut uanas uestium pompas, ac tenues nimis contextus auri argentiq. monilium, coronarum &c. ab Imperatore missarum uelli recensere. Exemplum uerò euitandę uerborum humilitatis exhibet Cic. 4.° ad Herennium sic: Nam istic ad Balneas accessit, ad hunc postea dixit. Hic tuus seruus me pulsauit, postea dixit hic illi considerabo: Post ille conuitium fecit, et magis, magisq. pręsentibus multis clamauit; Quare multas Periodos, compositionem siccam, sensus exiles precauebimus

Sub hanc humilitatem puerilis Leuitas uenit; Iuuentus enim cum sublimiorem eloquentiam non intelligat, credit se solam altè, purè, & concinnè dicere, adeò se iactitabat, ut cum Cicerone contendat; Credit inquam se purgati sermonis imaginem exhibuisse, cum dixerit se esse Oratorum Lusigniolam Elegiacorum Olorem, Epigrammatistarum psitacum, Lyricorum Graculum, Comicorum Pauonem, Tragediarum strucionem; &c. Cum dixerit non tot Argum oculos iactitare, uel lumina, non tot Cęlum Sidera, non tot esse lasciuientium flores Camporum, quot sunt suę Orationis ornamenta. Sed proh uana, imo uesana Iuuentus non intelligens orna=

ornatu suu Iberaꝝ mulieru gloriæ non absimiles, quaꝝ decor, pulchri-
tudo, formaq. in munilibus ferreis est. Huius quā sensus tenues,
quam uanę illecebrę, digressiones ineptę, frigidā ad uerba illusio-
nes, affectatę reꝝ descriptiones, luxuriantes figurę, uerba de-
niq. undiq. cū labore ad ostentationē, ad pompam inaniter col-
lecta. Hęc à nobis maximoperè fugienda, Auditores Lectiss.mi,
et quod sepius admonendum est, credite tunc maximam ingenij
sterilitatem ostentari, cū istiusmodi copia ostendit. Noti Adria-
ni Imperatoris [meri] lusus, quibus animam suā alloquit, quā dicendū
est plus quā ęquo dilexisse

Animula Vagula, Blandula,
Hospes, Comesq. corporis
Quę nunc abibis in loca
Pallidula, Rigida, Nudula
Nec, ut soles, dabis iocos

Hęc crepundia, quibus interdū pusionibus datur lusitare
Poëticā dictionē postremò euitabimus, sed tamen obseruandum, quod
aduertit Cicero, & Quintilianus, ille in Orat. pag. 253, hic uerò lib.
X. Cap. I.; Statuunt hi Poesim Oratori necessariā. Cicero enim de
Poetis: Numero maximè antea uidebant, et uersu: nunc apud Orat-
ioē ipse numerus increpuit. Quintilianus uerò modū ponit, quo possit
Orator senilis esse Poeta, ac pręcipit, Poetas non esse Oratori
sequendos, nec libertate uerboꝝ, nec licentia figuraꝝ, nec pe-
dū necessitate. Quā feliciter euenerit in scribendo Herodoto,
et Tucydidi, legite Halicarnasensē de structura uerboꝝ, quoꝝ
orationē pulchrā poesim appellat. Lucianus itidē addit eos Poetaꝝ
lectionē optimoꝝ decere, qui se ad Orationem conferre uolunt;
sed modus in reb. cunctis statuit; Non enim Orator poeticè dicens
benè audiret, si u. g. Aues alaꝝ remigio, aëris ęquor secare

pronun

pronuntiaret, et similia, quę grata pueris uidentur, sed uitiosa sunt. Vitijs his eloquentię euitatis portentosam fugimus Orationem. Non unum est, sed uarium admodum dicendi genus, ut uidimus, hinc uariè, et iuxta necessitatem adhibendum, quapropter ut id facile possimus assequi inscribatur

Articulus Vndecimus

Quomodo uarietas in stylo adhibeatur.

Rerum omnium Parens Deus cum uarios homines ad lucem euocauerit, ipsos uoluit uarijs constare affectibus, ipsosq. specie similes, forma impares cerni externa. Sic una est sermonis dictio, sed uaria tamen, et mixta, unde rerum diuersitas parit discrimen Orationis. In hoc igitur diligens sit Orator, ne rebus proprijs sua uerba desint. Significet igitur per sensus, per caractherem, quod intendit: Vno uerbo, se Orator rei accommodet, non res Oratori. Res minus ardua uidebitur spectato dicendi genere.

Sic ad genus, quod laus, et encomium decet, uberior dicendi copia aptior magis uidebitur. Lumina quęcumque, et quidquid poterit uenustatis afferetur. Vnde hic sensus sublimes, et acuta uerborum figurarumq. ornamenta. At seruentur in hac re adductę regulę et clarè et eruditè ab Pręceptore preterito explanatę

In Deliberatiuo, cuius est pręcipuè animorum affectus considerare, eorumdem motio, expolita Oratio, sed quę minimè affectata singulari studio perpendenda, cuicumq. enim patet maximo artificio apud eos opus esse, qui et ipsi artificium callent, Facile enim in horum animos irrepit suspectio. Hic onus requiritur, igitur leuitas amandanda. Hic soliditas, et ponderosę rationes triumphant, argutię igitur, et acumina arcenda: hęc alijs.

Iudiciale uerò, quod plerunq. in rerum Narratione uersatur, cuiusq. est claritatem rei, tanquam oculis exhibere, submissior stylus uerba propria, neque nimio labore conquisita, et exagerata appetit

petit, alioquin fides non prestaretur Orationi. Hoc igitur in genere tollendæ uerborum, et Pneumatum, & Periodorum circuitiones, sed stylus ille adhibeatur, quo uel Aduersariorum possimus tela retundere, uel ictu percellere accusatores.

Videndum tamen apud quos sermo habeatur, et mores Vrbium, Populorum prius cognoscendi. Quis enim non intellexit maximum feruorem decere Gallos, seueritatem, ac solidam compositionem Hispanos, Italos morosam quamdam tarditatem, et acumina? quod facilè ex Historiarum cognitione eruendum, et obseruandum maximè in libello quodam, qui inscribitur Icon Animorum. Adeo difficile est in uno tam maximam morum imitationem reperiri. Quis enim est, qui omnes ingenij laudes iurè ostendet? adest fortasse claritas? sed deficit profunda mens: facilitas? sed desideratur subtilitas: parata tranquillitas? sed ardor uehemens non triumphat: Tarditas? sed non pensatur celeritate. Huc Poetæ nostri carmina repetite, quæ alio sensu, et ad rem aliam; ad elegantiam scilicèt aspectus, et animorum partitè habuit

. . . mortalibus ex quo
Tellus cæpta coli: nusquam sincera bonorum
Sors ulli concessa uiro, &c.

Articulus Duodecimus
De Transitionibus

Oratio corpus est deficit, si non habet quibus articulis connectatur. Quin opus nullum mirabilius mortalium oculis apparet intimis rerum perscrutatoribus, quam illud, quod in se tot ac tantas partes habet discretas, atque disiunctas, uerumtamen aliquo mirabili nexu consociatas. Sic mira erit opificis industria, si rectè in partium ordine dispositio illuxerit. Hinc factum est, ut rerum coniunctio non uulgarem exigat ingenij laborem, et obseruationem. Habetis hic non nullas selectiores transitiones, coniunctiones scilicèt quas facilè suppeditant similia, uel dissimilia, paria uel impa:

impaRia, Contraria, disparata, Relata, &c. : Habetis animum Monstrum, nunc corpus excipite monstruoso animo dignum. Sed adhuc hęc quer, iam quę adolescens designauerit, referam. Verum hęc omnibus communia, illud uestrę tantum proprię laudis. Sed hoc leue, illud non tolerandum. Sed hęc in suis sordibus esse fatet, ueniamus ad splendida. Sic Magistratum est assequutus, uideamus nunc quomodo gesserit. Adhuc uetera diximus, illud nouum, et inauditum. Sed tristia mittamus, reuertamur ad letiora. Habetis ueneti itineris Tragędiam, nunc Muriazenses accipite Comędias. Vulnus aperui, nunc remedium ostendam. Priori tuę glorię satis factum est, ad alteram accingimur. Quid doleam habetis, nunc quid metuam accipite. Quantam rem susceperis ostendi, nunc qua ratione perficias, disce. Habetis forensia, nunc domestica ipsius crimina excipite. Sed iam satis diu de Regulis, ad me ipsum reuertar. Hęc rumore tantum cognouimus, illa uidimus ipsi. Dixi Ducem, nunc tibi pacis Moderatorem describam. Turpiss.ma audistis Iudices, audite turpiora. Sed quid plura! Huiusce artis Doctores, et quotidiana Librorum explanatio uberrimam hanc formularum Copiam suppeditabunt. Interim de Elocutione finis occurrit, de uirtute scilicet ea, quę tota est in dicendo ipsi, cuius solemnia celebramus, Pentecostes scilicet diei, quo uarijs linguis spiritus è Cęlo communibus hominum Doctoribus cęlitus apparuit, Fauete linguis, et emeritus Triadi cuneqq. cęlesti huiusce libri referam. Finis.

Digitus Quartus
De Memoria

Non habuit melius Pater de Pratijs, quo in docendo seritiam, ac diligentiam indicaret suam, quam Manui Rhetoricorum libros assimilando, quam aptè uerò cum de Memoria in ipsis agendum sit. Non ne ista deficiente capiti Manum amouerimus ipsam manibus adiuuamus? Sed de unoquoque uestro merito referam, cum benè memoria usi fueritis, hic est qui

Sardonicas, Smaragdos, Adamantas, Iaspidas uno
Portat in articulo:

Et uerò quam aptè Digitum Quartum Memoriam appellamus, hunc enim Veteres anulis aureis, et gemmis donabant, et memoria ea est, quę rerum omnium pretiositatem ostentat, et per quam collucet ingenium, et uirtus maxima enitet. Hoc apud ueteres legimus in more positum, ut qui legationis officio fungebantur, aureum gestarent anulum. Et quid Orator poterit enuntiare cęteris, nisi aurea memoria prędictus sit? Pręterea neruulus quidam est, ut notant Anatonimici, qui à corde natus per dorsum ad anularem digitum tendens in eo desinit. Hinc fortassè corona dignum adiudicarunt. Meritò igitur quidquid in uotis est, et quod tanquam in corde fouemus memoria producimus, et qui ritè id pręstat corona donandus. Videte igitur quam ritè, ac sapienter huic digito memoriam per similitudinem aptandam uoluit Pater Marinus, in qua explicanda non multum temporis insumendum; Pręstat enim uos potiùs per memoriam hucusq. dicta adnotare, quam plura de memoria tradere, cui enim aduersatur Memoria, scientia litterarum parùm proficit, quod habemus ex Philosopho lib. 9.° Metaphisicorum. Tantùm enim scimus, quantum memoria teremus, unde Messala Coruinus qui anno Ætatis septuagesimo biennio ante Mortem post diuturnam corporis egritudinem adeo fuit memoria destitutus, ut non solùm suorum seruorum nomen, sed sui etiam fuerit oblitus. In hac re laudandus precipuè Plato, qui in Critia Memoriam inuocauit, ut potè rerum

rerum omnium custodem fidissimum, et ut inquit Plato in Theatro Musarum est ipsa Mater, itidem Plutarcus in lib. de Educatione Filiorum, ipsam cellam penariam Discipulorum uocat; Qua re perpetua illorum uigebit recordatio, qui memoria maximè caluerunt: tota Indorum gens absque litterarum usu cuiusque ætatis acta, et recordatione digna Pytagorico more memoria tenuere. Archigius, et Lesyades Pythagoræ auditores, à quibus Græcia tedis multum didicit, nihil scriptum Præceptoris doctrinam docuere. Scitum illud de L. Ænio Seneca sui met teste in lib. primo Declamationum, qui duo millia nominum recitata eodem reddiderit ordine, et ducentorum, atque amplius Discipulorum versiculos, inuerso itidem ordine quo fuerint recitati ex templo restituisse; Nihil referam de Ludouico Romano Protonotario Iuris Perito, qui adeo memor erat, ut quæ ipse unquam legisset, aut audisset memoriter. Futurus erat populis omnibus futuræ admiratione, & stupori, nisi pestis eum in Basilensi uix trigesimum Annum egressum è Viuis sustulisset. Addam de Christophoro Longolio, cuius nobis pene quotidie Epistolarem lecturam ex animo commendo. Hic memoria tanta uiguit, ut ad ea collenda, quæ animo insedisset diuturnitas temporis uix aliquid ualeret. Sermo interdum erat de rebus, quas ipse antè legerat, aut audierat adeò promptus erat in recitando, explicando, ut illo temporis articulo percurisse uideres.; At ne diutius uestra abutar indulgentia legite M. Antonium Morettum lib 3.° Variarum Lectionum, apud quem uaria scitè, atque eruditè. Ciceronem lib. 9.° Tusculanorum Quæst. Senecam in prol. Declam. Plinium lib. 6. cap. 24, Sabellicum lib. 10 cap. 9. Videatur Balbus, & Ticardus in uita Bartoli. Iuuat nunc ad quædam descendere, quæ nobis primò dabit

Articulus Primus

Quid sit Memoria, & utilitas eius, & efficacia

Quæ hic breuiter adnotamus, fusius nobis in Physicis. Nolo enim Hic subtilius

subtilius disputare, cum Memoriam, quæ ab Hebreis Zecher, et Zicharon dicitur, trifariam diuidamus. Prima enim est facultas ipsa, qua recordamur. Secunda est actus ipse recordandi. Tertia uerò habitus, sive imagines, quarum interuentu exercetur memorandi actus. Unde Damascenus lib. 2.° fid. Orthod. cap. 20 uim, ait, eam qua meminimus esse memoriæ, ac recordationis Originem, et promptuarium.

Aduertite autem quod habet Aristotel. apud Porphirium de anima, et eius potentia: Animalia bruta meminisse; Discreta enim facultas, qua reminiscimur soli ratione præditis contingit; Quod enim discretum est, ad solam rationem pertinet. Unde citra dubium facit, in Brutis memoriam reperiri quod non sine admiratione anno proximè elapso obseruaui in Æ. dip. Comitum Iustorum ex Urbe Verona Virorum maximè illustrium Ruri, quod le Stelle, dicunt, Pisces in Piscina maxima ad sonitum Campanulæ accurrisse, ac coiuisse turmatim; et apud Plinium lib. X. Cap. 70 nomine uocatos Pisces prestò fuisse in Piscinis Cæsaris legitur.

Memoria igitur facultas est animi, qua quis ea quæ sensu aliquo externo, aut interno cognouit in mente continet. Vel ut Themistius contendit lib. primo cap. 15 de Memoria, et Reminiscentia: Est habitus, quo imagines rerum post impressionem constituuntur, & retinentur. et hoc non in tota anima, sed in sensu primario, et in ea ui, quæ prima notitiam temporis animantibus commonstrat. Suo tempore uidebitis quæ discretè dicat de Memoria Albert. Magnus lib. 2i cap. 4. Hic autem notate sensum esse præsentium, fidem futurorum, et Memoriam præteritorum; Quare memoria est, ut apud Auerroem Tertio de Anima Tomo 6., quæ sita est in posteriori parte Cerebri, Imaginatiua in interiori, Cogitatiua in Medio. Et fit ex hoc, ut supra inui, quod dum alicuius rei obliuiscimur caput scalpimus, eo quia in loco eo nerui sunt ad memoriæ cellam protensi. Quod ceteris fortasse male euenisset, benè cessit Clementi 6. Pontifici Romano, cui obuelemens capitis uulnus Me-
moriæ

moriæ bonus adeò contigit, ut quid quid uel semel legisset obliuisci amplius posset, cuius rei periculum Parrhisijs fecit, ut apud Petrarcam legimus de Memoria. Hinc quantæ efficacitatis sit hæc mentis nostræ pars discimus, quod nemini perfecta prudentiæ ratio conuenit. Ad hoc enim ualdè conducunt preterita facta, uel sancita, quæ negligimus, cum memoria defficit, neque experientiam habemus rerum tam maximè negotijs, et causis debitam, ut est apud Aristotelem primo Metaphisi: cap. p.° Diuus ipse Thomas in Secunda Secundæ Quest. 49 Articulo p.° Memoriam intèr prudentiæ partes recenset. Legite Fra Castorium in lib. de intellectione, ubi quam multa inuenietis ad rem presentem. Sciant igitur se à Deo maximum donum accepisse, quibus felicem concessit Memoriam, nihil enim sanctius, nihil utilius, nihil ad eruditionem aptius desiderare potest homo. Qua proptèr felicis.^us Diuus Hieronymus, cui ut scribit Diuus Augustinus tanta fuit memoria, ut linguam Hebraicam, Grecam, Caldeam, Persicam, Medam, Arabicam caleret, adeò ut nullus hominum sciuit, quod Hieronymus ignorauerit: Et Mithridatem fortis.^m illum, ac acerrimum contra Romanos hostem Ponti, et Bitiniæ Regem scimus uiginti duabus gentibus annor. 56., quibus imperauit sua cuique lingua ius dixisse, ut Gellius lib. 17 cap. 17. refert. Ea igitur commendanda Memoria, quæ ueteri Tricipio Apollinis Simulacro apposito similis fuisse dicitur, quia unum Lupi erat, et per ipsum rapacitas intelligebatur, alterum Leonis, et per ipsum tenacitas, alterum Canis, et per hoc fidelitas. Illa inquit non nullus Auctor laudanda Memoria est, quæ sua rapacitate omnia deuoret, tenacitate retineat, fidelitate non fallat. Fuerunt profectò quidam, qui ideò cum Brutis recensendi sunt, cum minimum memoriæ haberent. De Fracibus enim memoriæ proditum est tam obtuso fuisse ingenio, ut preter quaternarium nequirent enumerare, & de Melitide itidem ultrò quinque non processisse. Quod Curio euenerat liceat adnotari cum pro Sexto

Neuio

Nevio diceret, Cicerone pro Titinio Cotta perorante, subitò totam causam oblitus est, quam maximam culpam Titiniæ tribuebat, sed re vera adeo memoria vixit infelix, ut aliquoties tria cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. Quo circa ignoscendi sunt non nulli, quos nos è sugestu dicentes audimus, qui interdum in media Oratione subsistunt, cum sibi ipsi tunc minimè valeant, similes omninò Mari periclitantibus, qui in medijs fluctibus non habent quem scopulum apprehendant. De Carolo Quinto hoc memoriæ proditum ad Belgicæ Proceres è scripto recitasse cum filium suum Philippum Terræ huius imperio donaret, et Tranquillus lib. 2 Cap. 34 cum Dione initio lib. 53 aperit Cæsarem Augustum consueuisse de scripto recitare, sic malè evenit Jurisconsultis.[mo] Bartolomeo Sozimo Senensium suorum nomine gratulaturo Alexandro Septimo et cum dicere deberet apud Augustinum Barbadicum nostræ Venetæ Reipublicæ Principem bis fuit memoriæ destitutus. Hinc non mirum si tam laudabile, ac sanctum exercitium Juvenibus commendas. in Scholis nam sumus eorum maximè tenatiores ait Quintilianus: quæ à rudibus annis percepimus, et si quosdam videmus tanquam ex Leteo flumine prodijsse non mirum ipsis enim memoria excutitur propter frigiditatem humores congelantem

Articulus Secundus

Quibus instrum:tis possit adiuvare Memoria

Si rectè perpendimus quæ fecit Deus voluit ut res eas, in quibus Natura defficeret aliquali ratione reficeret ars. Sic ad Memoriæ auxilium, quæ maximè faciunt duo sunt unum ex nobis, extrinsecum alterum. Primum illud est, quod plura observat, dico autem bonam valetudinem esse; Ne nimis crapulæ indulgeamus, alioquin stomacus inconcoctus remaneret, quod pessimum contra Memoriam. Quocirca damnantur fructus Virides, Olera, Lac, Caseus, Carnes salitæ, omniaq. flatum generantia, Pisces fluviales, Anguillarum præcipuè usus, cavenda resupina dormitatio

mitatis, inuenis excretus, per hunc enim spiritus sensusq. exci-
tas, confricatio capitis aliquo predura pano, & aspero. Reditur per
Alium Raphanum, Ceppas, &c. huiusmodi: Moderatum gaudium
facilitatem affert memoriæ, precauendum Meridianum Somnium,
brumalis temporis itidem frigiditas. Os stomachi post cenam
re aliqua stiptica claudatur. Quotiescumq. recitaturi erimus
Vinum à nobis amandandum est, quod prestitisse Romulum legi-
mus, ut est apud Plutarcum. Cum enim ad cenam uocatus esset
non multum bibit, addiditq. se publicè postridie negotium pertractaturum,
undè aptior erit acqua cum Sacaro.
Quod uerò extrinsecum est primò intelligenda quæ legimus, & si quando
occurrit plura ediscere, hoc commodè prestari potest per partes res edis-
cendas distribuendo, ne scilicèt mens obruatur. Ad hoc aptæ erunt quædam
notæ appositæ, quæ illius rei similitudinem referant, quæ ediscendæ
erunt: Audiendus S. Doctor de Memoria, et Reminiscentia: Memo-
ramur facilè, si loca quædam ordinata imaginamur, quibus phan-
tasmata eorum, quæ memorari uolumus quodam ordine distribuamus.
Venit itidem cogitatio contrarij, ut inquit Philosophus, nam si de
Anibale referemus adueniet Scipio, si de Cesare occurret Pompeius
&c. maximam uerborum copiam in promptu, et ad manum habere proderit
quamplurimum quod est, in quo Cicero Curium laudauit, ac inter Ora-
torum numerum adscripsit propter uerborum maximam uarietatem, atque
expeditam in dicendo celeritatem. Verborum supplex, et copia disertum
faciunt Oratorem; Non tedeat excurrere Secreta Ioannis Iacobi
Vecherij, qui extrinseca quædam adnotat adiuuandam Memoriam.
Conferret insuper, ea quæ uolumus memoriæ tradere, clara uoce
pronuntiare etiam declamando uel cum gestu, uox enim illa mentem
excitat, qua fit, ut altius res imprimantur. Ediscite matutino tem-
pore, si piget antelucano assurgere, non enim nos ratio facit, namq.
suadet

suadet quod curior tunc, et distracta mens est, item ea, quæ postridie dicenda erunt, vesperè postquam dormitum eamus semel, ac iterum sed attentè excurrere.

Digitus Quintus
De Pronuntiatione

Manum tamen vestram Digitorum Minimus absoluit, verum inter ceteros aut quaquam Minimus recensendus; Cum enim pronuntiationes explicet, hinc rectè, ac iure Auricularem nominamus. Quid enim auribus aptius? quid suauius aptari potest? Quam rectè decens, ac moderata Pronuntiatio. Per aures enim ad ima cordis sermo ac vocis sonus suaui quadam dulcedine descendit, ac moliter diffluit. Fuere enim, qui partem hanc adeo fecerint, ut vanas, ac nullius pretij Rhetoricorum artes duxerint, cui apta Pronuntiatio deesset. Pausanias enim Sophista, ut est apud Philostratum in Sophist. non ne vulgò Coquus dictus est, qui pretiosa obsonia malè condiret, cum propter suæ gentis crassam linguam consonantes confunderet, breues produceret, producendas corrigeret. Mirum quod habet Valer. lib. 8 cap. 10, & Gellius lib. 9.° cap. 11 de Caio Graco Adolescente. Hic quoties apud Populum concionatus est, Seruum Licinium post se Musicæ artis peritum habuit, qui occultè eburnea fistula pronuntiationis eius modos formabat, aut nimis remissos excitando, aut plus iusto concitato reuocando. Quo exemplo nihil minus iucundum, quod de Quinto Atterio Oratore insigni referam. Hic ut pronuntiationem rebus, quas tractabat accommodaret, post se seruum habere voluit, qui ipsum vel nimis feruidè, vel remissè nimis pro rei varietate vestis contactu admoneret. Hoc ergo eo quia propter nimiam in dicendo contemptionem sibi ipsi diffidebat. Nostra vero tempestate quot sunt de quibus illud Caii Cæsaris

vis dicere iurè possumus, qui si legunt, cantant, si cantant malè cantant. Meritò igis. interrogatus Demosthenes quid censeret Oratori magis arduũ, Pronuntiationem affirmauit. Quod Laud dubiè confirmare uoluit illis carminibus.

Ille per extentũ funem mihi posse uidet
Ire Poeta meus, qui pectus inaniter angit
Irritat, mulcet falsis terroribus implet
Vt manus, et modò me Thebis, modò ponit Athenis.

Qua in re memorandi Cajus Julius Cesar, qui uoce acuta, ardenti motu, gestu uenusto dicebat, & Quinctus Hortensius quem singulariter commendat Valer. Maximus lib. 8, cap. 10.

Qua propter Pronuntiationis aliquã liceat afferre definitionẽ, et esse poterit: Confirmatio uocis, uultus, gestus, et totius corporis ex rerũ, et uerbor: qualitate. Undè bifariã significationẽ secabimus; Primò de ipsa Pronuntiatione, secundò de Gestu, tanquã ad aptã pronuntiandi rationẽ instrum:to; quę tm ante quã explicent Cicero p.o de Inuent. non prętermittendus. Pronuntiatio sivè actio est ex rerũ et uerbor: dignitate uocis & corporis Moderatio, imò addit iñ Orat. ad Brut.: Infantes actionis dignitate eloquentię sępè fructũ tulerunt, & diserti deformitate agendi multi infantes putati sunt. Meritò igis. tertio de Orat. sermonẽ corporis appellauit; Vnde de Demosthene notum illud iñ Demosthenis Orationibus magna Demosth. abesse partẽ.

Ad pronuntiationẽ, in qua ipsi quoque, qui defectu aliquo laborant sese exercere debent, et ultrũ superare, quod notũ est prestitisse Demosthenẽ, qui, tofis subter linguã positis, magnã dictionũ copiã, quę R continerent ad maris strepitũ, ut multitudinis forensis aclamationes euinceret, recitabat. Hanc duabus partibus cũ Alicarnasensi constare statuã uocis affectionibus, & corporis configuratione. Vox enim auribus, actio oculis inseruit. Vocẽ uero ua-
viam

uariã facimus pro ref. exigentia, sic aliqdo graueṁ, aliquando celerẽ, acutã interdum, modo asperã, uel gracilẽ, uel leuiteṁ. Hoc obseruandum, ut singula cum mora aliqua proferamus preceps enim Oratio Auditores distrahit, et confundit sine fructu, & uoluptate claritateṁ maximè, et grauitateṁ commendant Scriptores. Illud venit aduertendum, ut uox sepius inuanies, mouent enim animi uarietate pronuntiationis, & displicet admodum longè protractus iideṁ sonus, quemadmodum benè cecinit Horatius ad Pisones

. . . . & Citharedus

Ridetur corda ipsi semper uberat eadeṁ

Tollendę exclamationes acutę nimis, et crebres, quibus non suauiter uulnerant Auditor. animi

Illud dicendum, quando Orationeṁ omneṁ pronuntiare tenemur quo ad partes eiusdeṁ. Per Exordium, Narrationeṁ, Confirmationeṁ, &c. excurrimus. Quę quideṁ partes Orationis sub se partes alias habent ut infra. Primo aduerto, ne Orator statim, & primò, ut ità dicam aspectu alloquat. Auditores. Aliquantulum enim consistere debet, et cogitabundi ad instar adstantium animos in sese conuertere atq. ora, ut qui uideat. se ad Orat. componere, & menteṁ colligere. Delectat enim hęc cura Auditores. Taleṁ finxit Vlisseṁ suum Metamorphos. Auctor 13

. . . atque oculos paulũ tellure Moratos

Extulit ad Proceres expectatosque resoluit

Ore sonos

Licet hoc non affirmem de Exordijs quę fiunt ꝓ abruptiorem, quale illud euulgat in Catil. pa. Quo usque tandem!, In ceteris uerò exordijs uerecundiã, modestiã amareṁ, et commendo, quod facit ad uocis conformationeṁ. Exordium sequit. Narratio, cui uox aperta, et simplex aptat. Confirmatio in una uoce non sistit, sed pro uarietate reṡ.

se se accom-

sese accommodat. Argumentatio enim seueriorem Orationem requirit, nisi id uellet ironica aliqua dictio, qua infirmiora argum.ta inferunt. Conclusioni, siue Perorationi seruat uox incitatior, qua significamus nobis deberi uictoriam. Ouantes enim de hostibus palmam reportamus; Hæc ad communem Orationem.

In partibus Minoribus Hæc obseruanda, ut in uerbis tota audiatur uox, & clarè percipiatur. cum aliquid graue enuntiandum sit, fiat cum quadam Maiestate, cum aliquid atrox concitata uoce, cum triste flebili, cum mediocre temperata. Cum prosopopeiam afferimus, uox illius imitanda, cuius sermonem esse fingimus. Suus sit modus indignantibus, Interrogantibus, Admirantibus; Proteus igitur sit in dicendo Orator, qualem licebat admirari in uerbis Quintil. qui breuibus omnia hæc absoluit sic: Vox debet esse Oratori in rebus lætis effusa, hilaris remissa, in certamine uehemens erecta, et ueluti neruis omnibus intenta. In ira atrox aspera, incita, crebrò desinens; In blanditijs, & precibus lenis, ac submissa, in suasionibus mollis, in pollicitationibus grauis, in metu, & uerecundia contracta, demissa, hæsitans, in miserationibus flexilis, & flebilis, in affectibus concitatis uehementior. Scire placet quæ uox minimè displiceat, illa profectò, quam Cic. efformat 2. de Orat. sic: Est quædam certa uox, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animaduerti possit, nihil sonat, nihil olet peregrinum. Hanc sequamur opus est

Venio ad partem illam Pronuntiationis, quæ singulariter habet corpus gestus, siue corporis motum, ità tamen debet esse accommodatus, ut nostris temporibus non aduerset, & antiquo mori in ijs nos assimilari debemus, quæ nostra quoque tempestate usu ueniunt. Cum enim dicit Orator quis nescit ipsum decere stantem dicere. Cic. hoc testatur de Lentulo 3.o Catil. Si quis de ijs rebus dicere uellet feci potestatem, atque ille quidem primo negauit: Post autem aliquanto toto iam iudicio exposito, atque edito surrexit, quæsiuit à Gallis quid sibi esset cum ijs, &c. Sedendo etiam, quod nunc nisi extra Orationes Senatorias locum habent. Neque cursitando, ut Flauuius Virginius

Aduersa:

Aduersarium redarguit hisce uocibus, qui multum discurrerat: quot millia passum declamasti, ut est apud Fab. lib. 11 cap. 3. Precipua igitur diligentia opus est in motu capitis, ne scilicet isto utamur obstipo, uel nimis in ceruices reflexo, uel nimis deiecto, uel demisso, neque nimis ~~deiecto~~ rigido, & imobili, quod barbaro decere intelligimus. Cauendum itidem ne aliud capite significemus, & aliud uerbis proferamus, ut de quodam Rhetore apud Philostratem legimus, qui cum dixerat ò Jupiter! in terram uultum demisit, cum uerò ò Terra! sustulit in Celum. Doceat igitur nos modum Auctor ad Pisones in Arte

tristia mestum
Vultum uerba decent: iratum plena minarum
Ludentem lasciua severum seria dicta
hoc Oratorem decet in rebus in uerbis prestare neque refert an
Esse animo omnia
Ut fert natura facias, an de industria

De supercilijs integrum habetis apud Plinium lib. 11 cap. 37: Frons & alijs; Sed homini tantum tristitie hilaritatis, clementie, seueritatis index. In assensu eius supercilia homini, & pariter, & alterne mobilia, & in ijs pars animi. Negamus, annuimus. hec maximè indicant factum. Superbia alicubi conceptaculum, sed hic sedem habet, in corde nascitur, huc subit, hic pendet, nihil altius simul, abruptiusque inuenit in corpore, ubi solitaria esset, uidete & Orat. pro Sextio de Pisone. Non ne in supercilijs quoscunque animi affectus, tanquam in speculo contemplamini, & nos in Martial. lib. p.° Epig. 5

Contigeris nostros Cesar si forte libellos
Terrarum Dominum pone supercilium

Sic quis non nescit oculos attoli cum Deum oramus, uel petimus, Virgil. 2.° Aenead. Ad Celum tendens ardentia lumina frustra

dimitti uerò odij fastidij, negligentię argum. 4o, ut apud eumdem de Didonis umbra cù se se obtecerit Ænee

Illa sola fixos oculos aduersa tenebat

uel admirationis causa lib. 9.o

Dum stupet, obtutuque hęret deffixus in uno

Lib. 7. Talibus Ilionei dictis defixa Latinus

Obtutu tenet ora

Sic quis non uidet in oculis apertis fauorē, in clausis odiū, in semiclausis adulationē, & insidias, in rigidis stuporē, in uagis et natantibus lasciuiā, & mollitiem, quę passim in lectionibus offendimus. Ab oculis facilis ad buccas descensus, & nota signa demissis enim desperatio notatq. inflatis fastus, et arrogantia, interdū superbia, de quibus extat apud Arianū censura his uerbis expressa. Quid nobis obambulas, quasi ueru deglutisses? Velim ut obuij me admirenq. : sustentant Oratione humeri, sed non nimis non sunt eleuandi, aut contrahendi. Vnde ad nos peruenerit illud euulgatū de Demosthenē qui interdū dixit hasta humero sursum apensa iminente ut est apud Quintil. lib. 11, Plutarcū, Libaniū & alios

Quam uerò manus ad id faciant tā Oratores, quā Poetas iuuat percurrere, non enim uacat plures referre singillatim. Audiamus Ciceronē & Cęs. lib. 7. Epist. Sustulimus manus ego, & Balbus. Tanta fuit oportunitas, ut illud nescio quid non fortuitū, sed diuinum uideresq. cum de manu Poetā producamus, qui facilis, & prę manibus fuit Claud. de Consulatu Manlij Thedori, qui nutu manibusq. loquax. Vt Persium omittamus Satyr. 4

Fert animus calidę fecisse silentia turbę

Maiestate manus

Illud autem, quod in Antiquis obseruatū est euenisse ipsos manibus caput, & frontem percusisse mihi dementis esse uidesq. uel saltem

sui mali

sui malè compotis, ut et pectus ferire, quod tamen commodè, ac moderatè in aliqua gravi necessitate euenire posse omninò non negarem, quod enim precauendum statuitur rarò adhibendum est. Unde Cic. Tuscul. 3.° Muliebres lacertationes genarum, pectoris, femorum, capitis percussio, et de singulis corporis partibus Phisici disserentes, affirmant unamquamque suo numini singulariter dicatam, sic Aures Memoriae, Frontes Genio, Dexteras Fidei, Genua Misericordiae. Legite Alex. ab Alex. lib. 2.° cap. 19. Huc referri poterunt illa Virgil. car. Ecloge Sextae

Cum canerem Reges, et praelia Cyntius aurem
Vellit, & admonuit

De genibus habetis apud eumdem 3.° Aenead.

. . . genua amplexus genibusque uolutans
Haerebat

De Dextera itidem Septimo

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni

Et alibi passim

Apud Graecos hoc fuit in more positum, ut in supplicando manum mento amouerent, quam nos ore contingimus. Adderem et hoc de pedibus, ne scilicet species iis terram premamus indignabundi, quod tamen consueuit Antiquitas testimonio ipsius Ciceronis lib. 3.° de Orat dicentis quid multa pedem nemo illo in Iudicio supplosit, hoc inquam adderem de pedibus, sed malo sermonem pedis in manu figere, & à tabula, hoc est à toto open Manus dimidium mecum admouere. Singulare sane huius artis inuentum, et praecipuis laudibus commendandum, quod hoc P. Marinus excogitauerit. Non mirum tamen, cum haec de P. Marino praedicamus, quid enim non assequeretur ingenium tam singularem, & factum ad omnia? Manum ipse produxit, uestrum erit, manum hanc in sinu non tenere, hoc est desidia otiosè non torpescere, qui enim id non praestaret, de ipso eueniret, quod in Iudic. Decimo Quarto scriptum est nihil omninò habens in manu; Denique

nique frustrà manu ad laborem extendisset quicunq. diuturni laboris onus non referret acceptum D. O. M., cui etiam, cum canerent David, facta est super eum Manus eius.

In Manum Oratoriam
Ad suos Auditores

Tetrastichon

Nil habet hoc dictum: iungas dextera dextrę,
Si non des menti, dextera nihil erit.
Sit qui mente habeat, manibus, qui dogmata Dextrę,
Scire uelim: Maior dextera cuius erit?

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] D. O. M. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]

In [illegible] [illegible]

Tetrastichon.

Nil [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
Si non [illegible] [illegible] [illegible] nihil erit.
Si [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]